



168

125  
2

29  
3

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10



1680.

1. Beckmann, Joh. Volk: De imperitia et infirmitate

2. Exempl. 1680 - 1746.

2. Beckmann, Joh. Volk: De aestimio . . . 2. Exempl.  
1680 - 1720.

3. Falckner, Joh. Christophorum: De gratia seu jure  
aggratiandi.

4. Falckner, Johann Christoph: De jure prohibendi.

5. Falckner, Joh. Christophorum: De injuria parentum  
erga liberos.

6. Fieren, Johannes Bernhardus: De licentia civitatis.

7. Facob, Johannes: Specimen differentiarum juris civitatis  
Romani et statutaris liberae S. R. I. ~~imp~~ rei publicae  
Munensis

8. Facob, Johannes: De lactu.

9. Fessen, Matthias: De novatione in specie sic dicta

10. Fessen, Matthias: De praerogativa creditorum  
in pignore.



1680.

- 11<sup>a</sup> <sup>2</sup> Kaempffer, Joachimus : Jus appalsus 2 Exempl.
12. Kaempffer, Joachimus : Lex regula [1.] l. foeminae [2.]  
et l. ejus [3.] l. l. vel. ff.
13. Kaempffer, Joachimus : De augmento. Continetio ult.  
partis specialis membrum II. De juris augmentorum,  
extra causam dominii, qualis habetur.
- 14 Kaempffer, Joachimus : Coloni partiarum jura.
- 15<sup>a</sup> <sup>2</sup> Lynckerus, Nicol. Christoph. : De fundo pecuniarum  
2 Exempl. 1680 - 1725.
- 16 Lynckerus, Nicol. Christoph. : De fideicommissis  
universalibus.
- 17<sup>a</sup> <sup>2</sup> Lynckerus, Nicolaus Christoph. : De potestate  
eminente principis in judiciis. 2 Exempl. 1680 - 1739

1680, 6  
3. 3.  
DISSERTATIO POLITICA *Jan. nov. 78.*  
DE  
LICENTIA CIVILI, *8*

*Quam*  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA  
PERMISSU SUPERIORUM  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA SALANA,  
PRÆSIDE

DN. JOHANNE BERNHARDO  
*1680*  
SRSSESER/PHIL. ET U. J. D. IL-  
LUSTRIS REGIMINIS SAXO-JENENSIS  
ADVOCATO ORDINARIO GRA-  
VISSIMO,

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO OMNI HO-  
NORIS CULTU MAXIME DEVENERANDO,  
Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit

AUTOR  
JOHANNES HENRICUS *Thrum* /  
Schlaizâ-Variscus

M. E. L. P. C.

*Mense Januario. M. DC. LXXX.*

Literis GOLLNERIANIS.



167. 11. 12. 18

DISERTATIO POLITICA  
DE  
LIBERTATE CIVILI  
AUCTOR  
D. JOHANNES BERNHARDUS  
LUTHERUS  
HISTORIA REIPUBLICAE SAXONIAE  
AUCTOR  
D. JOHANNES BERNHARDUS  
LUTHERUS

Decorative floral ornament

Decorative floral ornament

n  
M  
ti  
to  
n  
m  
no  
L  
ra  
in  
m  
cu  
le  
pa  
cr  
ru  
ge  
ne  
L  
ha







Q. F. F. Q. S.

## INTROITUS.

**I**res ita se habet, quemadmodum se habere profecto negari nequit, quod sola conscientia recta sive rectum intellectus iudicium in universum sit norma & regula omnium actionum humanarum, & quidam quasi Legis Naturæ Præco, qui homini proponit, quid iustum, quid iniustum, quid fieri, quid non fieri in vita debeat; secundum ea, quæ tradit Horn. *Phil. Mor. Lib. III. Cap. 4. n. 3.* non certè dubitandum, quin cordatiorum cuidam secundum hanc omnes actiones iudicanti, immò totam vitam suam instituenti, si non Jus positivum sive externum in Republ. in totum supervacaneum; præter rationem tamen & fermè injuria videantur verba Theodoretum, quando illius necessitatem ob oculos positurus *Orat. 7. de Providentia. Tom. 4. ed. Lucet. Paris. A. M. DC. XLII. p. 396.* eleganter ita inquit: *Quis iniustorum manus ferre posset, nisi cupiditatis & avaritiæ illorum flammam & impetum legum metu coerceret? Nam perinde ut pisces solent, magni minores devorarent, nisi gladium acutum, ardentem rogam & quæcunque alia in malorum supplicium à Magistratibus excoGITATA sunt, lex ostenderet. & pergit: Si enim, cum & leges minitentur, & scelerum pœnas Magistratus exigant, adhuc tamen nonnulli sunt, qui omni fera crudeliores animos contra proximos gerunt, & ut scorpium in illos irruunt, ut serpentes mordent, ut canes rabidi furunt, & erga ejusdem generis consortes ac socios, quemadmodum leones adversus diversi generis animalia, rugiunt, quid non facerent illi, si nec leges essent, nec ulli Magistratus pœnas exigent. &c.* Verum Theodoretum propter hæc verba nimis quidem dura non modò experientiam, sed &

A

in



insuper unius alteriusve perversum & in obscuro latentem animum, qui solò pœnarum Jure positivò statutarum metu ab ejusmodi nefandis & execrandis criminibus reprimatur, sufficienter defendere, quis est? quem lateat: ut adeo sententia firmissimo suo stet talo, quod legem Naturæ, quia homines quamplurimi a nimia rationis, qua laborant, obscuritate & cœcitate impediti divinam contra delinquentes vindictam occultis ut plurimum viis sese explicantem animadvertere nequeunt, & proindè rarissime solâ erga Naturam naturantem sive universi hujus Conditorum reverentiâ ad debitum obsequium adducuntur, pactò in super humano exprimi necessitas coëgerit. Quod equidem tolerandum esset, nisi, quod calidissimis deplorandum lachrymis, hodiernâ luce in Rebus publicis quamplurimis irrepsisset abominanda prorsus & detestanda illa Juris Naturæ inversio, mediante qua solum utile sub quacunque justis & Legi Naturæ convenientis specie in Rebus publ. intenditur & ad id obtinendum omnis dirigitur scopus, justum vero revera tale, honestum, pium & alia summe necessaria postponuntur, immò habentur insuper: ut adeò haut inconcinne de qualitate hodierni Politici ita posuisse videatur Vir summus, Herm. Conring. *Cap. 2. de Prudent. Civ. Invaluit hodie terra quedam & horribilis acceptio vocis Politici, quâ is demum ita audit, qui ad commodum Reipubl. unice omnia sic dirigit, ut pietatem divinamque cultum huic postponat immò habeat insuper.* Quæ & plura alia conscriptâ jam Dissertatione Morali de *Licentia Naturali* haut præter meritum mihi addiderunt stimulum inquirendi etiam in materiam de LICENTIA CIVILI, & id, quid cum ratione imperantium tum parentum in Republ. liceat. Hoc vero propter materiarum singularem, quandam connexionem & combinationem uniusq; ex altera ortum & sic exinde sperandam majorem perspicuitatem commodius vix fieri posse persuasus, quàm retentâ Methodo ipsius jam dictæ præced. Dissert. Mor. in Nomine Domini nostri JESU CHRISTI sine longiori verborum circuitu, confestim progredior ad

CAP.

# CAP. I.

DE

## EXPLICATIONE NOMINIS ET DEFINITIONE REALI.

### CONSPECTUS.

*Ratio Ordinis. n. 1. Etymologia & Homonymia vocabuli Licentia. n. 2. Etymologia vocabuli Civilis. n. 3. Hujus Homonymia. n. 4. & 5. Removetur significatio huc non faciens n. 6. Amborum vocularum sensus huc pertinens & Synonymia n. 7. Licentia Civilis existentiā probari posse videtur autoritate Scriptorum. n. 8. quae tamen refutatur, nec minus existentiā Licentia Civilis aliunde probatur n. 9. Cui non obstant Leges Civiles, sive Jus positivum in Republica. n. 10. Ponitur hujus definitio. n. 11. Actiones ad Licentiam Civilem saltem secundario non vero primario pertinentes remouentur. num. 12. & 13.*

#### I.

**N**on autem L. B. te nefas habiturum puto, si pra omnibus aliis vocabulorum significationem & horum verum usum primò loco pono & tanquam prodromum praemitto. Cum ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις ἀρχὴ τῆς παιδείας i. e. *Nominum disquisitio principium doctrinae*, & sine horum vera & distincta cognitione ad perfectam & distinctam rerum scientiam penetrare haud liceat, sed quis in notis ac signis vel leviter aberrans & in ipsis rebus errorem concipiat, necesse sit. Ne igitur tale & mihi contingat, & veram ac genuinam harum significationem omittendo in ipsa re errorem concipiam, in horum enucleatione ero brevissimus.

A 2

II

## II.

Etymologia & Homonymia vocabuli LICENTIA heic inhære easdemque latius explicare si non supervacaneum, minus tamen necessarium esse duco, quoniam in *Dissert. Mor. de Licent. Nat. Cap. I. n. 2.* prolixè & fufius habentur, ut adeo exinde nec repetitione heic fit opus; dicendum tamen vel unico saltem verbo est, hoc provenire à verbo Impersonali *Licer*, atque in varia, partim bona, partim mala, reperiri significatione, sumi & nonnunquam pro potestate, facultate & facultate licita.

## III.

CIVILIS & hoc CIVILE, quod est civium sive quod ad cives pertinet, *Bürgerlich* oder das denen *Bürgern* zugehört/ derivatur à voce *Civitas*; & hæc porrò à *Civis*, qui à coeundo dicitur exinde, quod vinculo quodam societatis coeat in unum coetum & sub legibus vivat Politicis; id quod constare videtur ex ipso Romanæ Eloquentiæ Principe, Cicerone, qui *Orat. in L. Catil. in Senat. Servi, me hercle, mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuant omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem.*

## IV.

Ponitur autem nonnunquam pro urbano & elegante; & quidem improprie, ut in *l. 5. C. de furi: Civile est, quod à te adversarium tuum exigit, ut rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas venditorum.* Item: quando homo nonnunquam dicitur *civilis*, i. e. qui morem urbanitate & cultu præ reliquis valet, & in quo plus est salis, quam in aliquo de vulgo, quique adeo in vita communi qua incessu, qua sermone, qua gestu elegantius se gerit. Vid. *Conring. de Prud. Civ. Cap. 1.* quique secundum ibidem allegatum præceptum *seneca* sermone est affabilis, accessu facilis, vultu, qui maxime demeretur populos, amabilis: æquis desideriis propensus, nec iniquis acerbus. Secundum nostrum loquendi modum: *Der sich in die Leute schicken und mit jederman wohl behelffen kan.*

## V.

Propriè verò accipitur, quando, uti jam n. 2. dictum, legitur pro eo, quod est Civium aut Civitatis: unde (quod mihi liceat

ceat ex Jure Romano quoad significationem verborum hic & thes. seq. adducere) Sapiencia Civilis, l. 1. §. 5. ff. de Extraord. Cogn. item: Studia & instituta Civilia; b. e. pertinentia ad societatem Civium civitatisque statum. Quemadmodum hōc ipsō sensu etiam mores Civiles Civiliterque quid fieri à Cicerone dictum Lib. 1. Off. Nec non Civilis homo, qui versatus in peritia eorum, quæ pertinent ad Reipubl. administrationem, uti idem Cic. de seipso loquitur Orat. 7. Phil: Itaque ego ille, qui semper autor pacis fui, cuique pax presertim civilis, quanquam omnibus bonis, mihi tamen imprimis fuit optabilis. Porro Civilis soboles. Auth. Licet Patrio C. de natur. lib. & matrib. Civiles honores. l. 11. C. de liber. causa. Civiles Magistratus l. fin. §. 1. C. de Nupt. & si quæ sunt alia.

#### VI.

Nequaquam autem heic loci in eo sensu sumitur, quatenus Naturali opponitur; quemadmodum cognatio Civilis Naturali adversatur l. 4. §. 2. ff. de Grad. Ratio itidem Civilis & Naturalis invicem separantur. spr. J. de Nupt. l. 8. de cap. minus. Nec non bonus civis & bonus homo invicem differunt & diverso plane modo dicuntur; secundum Arist. III. Polit. 3. Sed quatenus Naturali subordinatur & ponitur pro justo, æquo, ordinario & legitimo, ut in l. 5. C. de furt. habetur, & contrariatur incivili, inhonesto, illicito, iniquo & ei, quod planè contra juris ordinem, ut in l. 12. C. de R. V. & passim.

#### VII.

Per Licentiam proinde Civilem indigitabitur Libertas actionum quarumcunque externarum ea, quæ à legibus boni & justii sive validis à Magistratu legitimo promulgatis in civitate sive Republica toleratur & permittitur, ut & exinde, Synonymiam quod spectat, Licentia Civilis nominari possit facultas Civilis; & hæc pro instituti ratione de Explicatione Nominum.

#### VIII.

Ne vero ulterius progrediendo de existentia tamen Licentia Civilis adhuc incertus verbis inanibus aërem pulsare videar, omnibus remotis proximum nunc erit adcuratâ mentis bilance expendere quæstionem: An existere possit Licentia Civilis? & videre, quid ad hanc respondendum sit. Si autem da-

tur finis & scopus quidam Reipublicæ in suam propriam utilita-  
tem vergens, quem in civitate viventes sua sponte & libere nul-  
la prorsus necessitate, nulla lege, nullaque vi externa coacti per  
certa & huic fini adcommodata media & possunt consequi &  
ipso actu consequuntur, id quod ipsum satis dilucide asserere vi-  
detur Tacitus, qui 3. annal: *Vetustissimi mortalium nulla adhuc ma-  
la libidine, sine probro, scelere eoque sine pœna aut coercionibus age-  
bant; neque præmiis opus erat, cum honesta suo pte ingenio peterentur,  
& ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur & O-  
vid. Metamorph. 1.*

*Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo  
Spontè sua sine lege fidem rectumque colebat.  
Pœna metusque aberant, nec vincula minaciæ collo  
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat  
Judicis ora sui, sederant sine iudice tuti &c.*

Negari profecto haut poterit & dari Licentiam Civilem.

IX.

Verum, quamvis hoc cum Poëtis Tacitum contra experi-  
entiam pro ingenii sagacitate finxisse potius ac eo ipso tantum-  
modo Reipubl. optimæ proprietates demonstrare voluisse au-  
tumem, ex historia cum sacra tum profana ejusmodi Rempubli-  
cam, quam haut præter meritum beatam nominavero, ab orbe  
statim condito huc usque nondum extitisse & una cum aliis  
quam plurimis & ex exemplo primæ statim societatis humanæ,  
ubi appetitus à rectæ rationis imperio defecerat, ipsiusque primi  
fratricidæ, Caini *Genes. 3. & 4.* longe aliter edoctus rem quidem  
in medio relinquam; Siquidem & Tacitus, historicus alias satis  
acutus & gravis, ob hoc, sive serio sive saltim fide asseruerit,  
tanquam Gentilis & à fide in verum Deum prorsus alienus ex-  
cusandus potius, quam atro carbone notandus. Nihilominus  
tamen, Licentiæ Civilis existentiam exinde haut posse negari,  
sum certissimus. Si enim, quod non negandum, datur certus in  
Republ. scopus, qui per certa & huic scopo adcommodata me-  
dia & potest obtineri & debet, quod & alio unquam modo non  
potest contingere, quam actionibus & mediis huic scopo prorsus  
& ex omni parte convenientibus; quoniam nullus scopus sine

præ-

præcedentibus certis actionibus & requisitis obtineri potest, & has etiam ipsa hujus natura exigit, contrarias vero, huic adversas & inconvenientes rejicit & averfatur; ideo necesse est, & licere aliquid civiliter & dari Licentiam Civilem.

X.

Quamvis autem hæc, quod notissimum & Magnif. Dn. Schilter etiam tradit in *Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jurispr. Cap. 4. §. 18. pr.* iterum restringatur Legibus Civilibus adeoque jure positivo, quod obligat, & homini libero necessitatem imponit moralem aliquid alterius gratia agendi, patiendi vel omittendi, ita, ut voluntas agendo actum socialem adeo se determinet & libertatem suam sic restringat, ut hac determinatione posita non possit non producere Necessarium Morale secundum jam dict. Dn. Schilter. in *Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jurispr. Cap. 8. §. 54.* Nec tamen hæc libero homini imposita operandi necessitas Licentiæ Civilis existentiam infringit; quia non est absoluta sive simplex, sed talis, quæ hominem tantum ducit, ut ab injustis absteineat & ultro faciat, quæ sunt justa. Homini namque libero aliter necessitas operandi imponi haut potest, quam inflictione vel metu dolorum concomitantium vel subsequenti operationes suas justitiæ minus conformes. Cum enim contraria contrariis curentur; homines ad operationes vitiosas & injustas voluptatibus, quippe vitiorum humanorum velut morborum causis, excitati ob oculos ex adverso positos doloribus & cruciatibus per instrumenta tortoria durch *Staupenschlag/Schwerd/Galgen und Rad &c.* vitiosas actiones subsequenti ab hisce deterrentur & detinentur, dum hos fugiendo voluptatibus, quibus ad iniqua facienda excitantur, resistere laborant, & sic nihilominus licentiam adhuc habere reliquam agendi & sectandi eo contrarias operationes virtuosas atque in salutem publicam vergentes, in confesso est; id quod & ipse confirmare videtur Aristoteles, quando *X. Eth. 10. Ὅ νόμος ὁ ἐν ἑστὶ ἐπὶ ἀχθῆς, ἰστέον τὸ ἐπιεικές.* *Lex non est gravis, ponens quod æquum est.*

XI.

Cum itaque existentia Licentiæ Civilis negari haut, possit  
sed

sed satis videatur probata; Hanc proxime nunc excipiet ejus quidditas, sive quaestio quid sit, nec non vera definitio. Definitur autem Licentia Civilis *facultas actionum quarumcunque, quae à Magistratu tolerantur, dirigunturque in Reipublica salutem & felicitatem.* Cum enim, quod etiam in *dissert. Mor. de Licent. Nat. Cap. 3. n. ult.*, & ipso statim introitu hic dictum, hominum vulgus, quid vere liceat, plerumque ignoret, & perversas & à justitia prorsus alienas suas opiniones loco justae nonnunquam habeat, adeoque operationes justas saltem per accidens, raro vero per se edat, nec non ejus de justo non modo in se, sed & civitatis sive societatis, in qua vivit, ratio, opinio sit fluctuans & infirma, haec certa Regula & Lege externa à Magistratu proposita insuper determinanda erat, ad quam tanquam ad amissim omnes actiones suas dirigeret. Nihilominus tamen, hoc licet factum, liber adhuc esse sive Licentiam Civilem habere dicitur; secundum saepe laud. Dn. Schilt. *Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jurispr. C. 4. §. 18. & n. preced. heic.*

XII.

Nullus autem dubito, quin heic oriri cuidam possit dubium; An nimirum, si Licentia Civilis definitur facultas actionum quarumcunque, vocabulum *quarumcunque* heic ponatur collective, & sub hoc omnes & singulae in universum actiones simpliciter & sine ulla exceptione & limitatione comprehendantur & sub Licentiam Civilem veniant. Verum actiones occultas, in civitate latentes & ad Magistratus notitiam non pervenientes quod attinet, de hisce confestim ex verbis definitionis sequentibus, ubi dicitur: *quae à Magistratu tolerantur*, judicium potest fieri. Si enim Magistratus de actione quadam judicium ferre debet, eamque vel probare, vel reprobare, vel permittere; necesse est, hanc prius in notitiam ejus venisse, quoniam de occultis Praetorem judicare impossibile. Si ergo hoc, quod aliter se habere nequit; actiones occultas sub *quarumcunque* nomine hic non comprehendi posse facile patet: cum tamen nihilominus nec absolute & simpliciter liberae, sed sint objectum *Licentiae Naturalis*, adeoque restringantur ad rectum judicium intellectus, quod primario etiam de occultis, civiliter latentibus & ad notitiam

tiam





tiam publicam non pervenientibus actionibus judicat, uti de hoc prolixius tractavi in *dissert. de Licent. Nat. Cap. 2. n. 15. 16. & 17.* Ex eadem ratione idem sentiendum etiam videtur de actionibus in Republica latentibus, licet in ejus salutem & felicitatem dirigantur atque cedant.

XIII.

Nec porro actiones etiam omnes, quæ ad notitiam publicam perveniunt & Magistratum haut latent, sed in aprico sunt, positæ, heic sunt intelligendæ & sub hanc classem ordinariæ & primario veniunt. Removentur autem & sunt indifferentes adeoque ad Licentiam Naturalem primario, huc vero secundo saltim pertinent eæ, quæ nec honestatem nec utilitatem sive publicam sive privatam in Republica lædunt. Quem enim ad modum Medicus sive chirurgus morbi partis cujusdam corporis humani, si nec totum corpus nec reliquas ejusdem partes vel jam ipso actu male afficit, vel etiam successu temporis malè afficere adeoque ipsarum operationes illum impedire posse existimat, exactissimam curam non habet, sed in hoc curando vel exiguam vel etiam prorsus nullam adhibet diligentiam; pari ratione & Magistratus actionum vitiosarum earum, à quibus nihil mali sentit nec sentire potest vel tota Respublica vel hujus pars, adeo exactam curam non habet, nec facile adversus easdem medicinam adhibet, usque dum sentiat hoc malum ad alios tandem reperere & exinde detrimentum Reipublicæ futurum. De quarum tamen actionum speciebus plura dicendi opportunior erit locus *infra ubi de Objecto Licentia Civilis agetur.* Transeo jam ad

CAP. II.

DE

CAUSIS LICENTIAE  
CIVILIS CUM INTERNIS  
TUM EXTERNIS.

B

CON.



CONSPECTUS.

*Ratio Ordinis, n. I. Causa Efficiens Licentiae Civilis dividitur in proximam & remotam, n. II. In proximam revera talem inquirendum, n. III. Quam non constituunt Leges injustitiam in Republica parientes, n. IV, quarum species, n. V. Licentiae Civilis causa Efficiens proxima revera talis quae? n. VI. Num leges externae sive positivae in Republica Juri Naturae sive legibus internis possint aliquid vel addere, vel detrahere, vel illas confirmare, n. VII. Quomodo leges positivae sibi invicem possint derogare, n. VIII. Divisio Legum in superiores & inferiores, ubi queritur: Num & quatenus haec illis derogare possint, n. IX. Num & quatenus Jus non scriptum derogare possit Juri scripto, n. X. Num Jure scripto num vero non scripto utatur Respublica perfecta? cujusque Natura, n. XI. Num extiterit sive actu existat Respublica subsistens sine Jure scripto? item fundamenta & rationes malitiae humanae nonnunquam prorsus incorrigibilis, n. XII. Rationes speciales, quare Civitates legibus positivis regi necesse habeant, n. XIII. Licentiae Civilis causa Efficiens remota & quomodo Magistratus legitimi requisita denotata olim in Imperio Romano, n. XIV. Magistratus divisio secundum Rerum publicarum species, n. XV. Quomodo Christianus Politicus teneatur promovere salutem Respublicae, n. XVI. Magistratus in Rebus publicis corruptis causam Licentiae Civilis Efficientem remotam non constituunt, n. XVII, XVIII, & XIX. Nihilominus tamen Jus quoddam pretendunt n. XX. Quod quale sit & in quo consistat, demonstratur in genere, n. XXI, in specie, quoad Statum Tyrannicum n. XXII, quoad Oligarchicum & Democraticum n. XXIII. In formis Rerum publicarum corruptis vix quicquam reperitur Licentiae Civilis, n. XXIV. Licentiae Civilis Finis remotus & ultimus quis? n. XXV. Rationes & fundamenta quare tam varia in hoc universo existant Respublicae n. XXVI. Inter omnes vero nulla reperiat perfectae, n. XXVII. Haec porro demonstrantur & insimul ponitur Finis L. C. proximus sive intermedius, num. XXVIII. Objectioni contra hanc thesin respondetur & de-*



monstratur hodierna Juventutis Educatio minus esse conve-  
niens Fini Reipublicæ perfectæ, quin ponitur Encomium Sere-  
nissimi Ducis Saxonie, ERNESTI, gloriosissima memoria,  
n. XXIX. Alia rationes impediennes existentiam Reipublicæ  
perfectæ, nec non causantes raritatem Civitatum absolute si-  
ve mere liberarum. n. XXX. Queritur: Num liceat Civitatibus  
sua sponte imperium in adjacentes populos barbaros nullam  
ad debellandum se ansam suppeditanes extendere, eosque ob  
eo commodius exinde futurum virtutum exercitium ad præ-  
stationem servitorum suo jugo subicere. n. XXXI. Ob maj-  
oris incommodi evitacionem saepe minus bonum in Republica  
permittendum. n. XXXII. Licentia Civilis Subjectum; ubi  
queritur insimul, an omnia, sine quibus Respublica subsiste-  
re nequit, sint partes ejusd. Reipublicæ. n. XXXIII. Objectum.  
n. XXXIV. Ratio formalis. n. XXXV.

I.

Cum plane nihil sit in effectu, quod non præexistit in causa,  
unde & ortum tritum illud: *Nihil sine causa.* Haut ini-  
que, ne actum heic agere atque nimis per saltum progre-  
di videar, priusquam de Licentiæ Civilis Effectu verba faciam,  
præmittendæ erunt Causæ, ex quibus deinde Effectus sua sponte  
fluet. Quo minus autem & hoc ordine fiat inverso, nec præter  
rationem esse puto, si primum ponantur *externæ*, Efficiens nimi-  
rum & Finis; quas tandem *Materia & Forma*, tanquam *internæ*, &  
suo loco in hoc ipso Capite excipient.

II.

Quem autem ad modum alias in Philosophorum schola  
more vulgato causa Efficiens duplex constituitur, proxima alia,  
alia remota; ita & Licentiæ Civilis *Causa Efficiens remota* in ipsa  
statim definitione *Cap. preced. num. 11.* expressè posita reperi-  
tur, quæ est *Magistratus*; Proxima verò, quæ sub illa compre-  
henditur, est *Lex Civilis sive externa & à Magistratu promulgata*;  
quia secundum Arist. I. Rhet. 4. ἡ σωτηρία τῆς πόλεως ἐν τοῖς νό-  
μοις ἐστὶ. h. e. in *Legibus consistit salus civitatis*; & quoniam, quod la-

te patet & insuper etiam *infra* dilucide explicatum est, lex interna & menti insita plurimis, non dicam toti generi humano, ad discernendum bonum à malo justum ab injusto non sufficiebat, per legem externam sive positivam quicquam determinari necesse erat, cui tanquam certo & firmo semper & ubique quilibet adherere possit.

III.

Cum autem iterum Legis externæ sive in Republica promulgatæ propria sit vis illam internam & à judicio recto intellectus dictatam pro ratione personæ, Status, Loci & temporis vel augere illique adeo aliquid addere, vel civiliter imminuere adeoque aliquid detrahere, vel in totum tollere, vel saltim confirmare; Exactior profecto heic diligentia est adhibenda, ne in faciendo judicio de *Causa Efficiente proxima* L. C. revera tali à via Regia aberretur & loco veræ apparens tantum apprehendatur. Ne autem hoc fiat, sed ut eo felicius possim progredi, tutissimum omnium heic erit, adcuratius paulo in species Legum in Republica promulgatarum inquirere.

IV.

Nequaquam proinde causa L. C. Efficiens proxima constitui poterunt Leges promulgatæ in genere omnes eæ, *quæ in Republica injustitiam pariunt.* Cum enim in universum omnis lex ad justum tendere debeat, & proprie ac intrinsece non possit esse lex, nisi sit justa & bona & in commune utilis; exinde, quia non potestatis solummodo sed & Prudentiæ effectus & est & esse debet, secundum ea, quæ tradit Magnif. Dominus Schilter. *Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jprud. Cap. 9. §. 21.* Leges autem injustitiam in Republica parientes adeoque iniquæ & injustæ minus proprie saltim ita dicantur, & jure potestatis Legislatoriæ externe tantum obligent, secundum eundem Dn. Schilt. *jam dicto loco*, interne vero obligare vel permittere quicquam, nequeant, adeoque omnino nullum Juris vel Legis habeant effectum; ideo nec causa Efficiens L. C. proxima dici poterunt.

V.

Harum autem numero haut præter meritum habentur eæ, *quæ permittunt moraliter impossibilia.* Sicut enim naturaliter impossi-

possibilium nulla prorsus est obligatio, & is, qui nec ipso actu operandi facultatem habet, nec, quo minus habeat, ipse sibi causa est, adeoque perficiendorum facultate sine sua culpa plane destituitur, non potest existere causa injusti in omissione consistentis per se talis, nec dici injustus, & ad ea præstanda obligari; Ita è contrario parili ratione moraliter impossibilium nulla est concessio: & is, qui quidem vel ipso actu facultate per se operandi vitiosa non instructus, vel etiam, quo magis operari possit, causa ipse sibi potentia non est, sed potius illi existit ipsa Legis civilis jam dicta concessio, non potest dici causa injusti in commissione consistentis per accidens, adeoque minus injustus & ex concessis operari. Adjunguntur iisdem proxime vel potius prorsus vinculo quodam connubiali cum hisce combinantur ex, *quæ cum honestate tam publica quam privata pugnant atque huic adversantur.* Notum enim est, Leges Civiles Naturales destruere haud posse. Jam autem, quæ honesta sunt, sunt Juris Naturæ; Tanta proinde harum, ut honestati sese opponere illamque destruere queant, vis non est. Comitantur hæc ex, *quæ Reipublicæ manifesto noxia & perniciose esse deprehenduntur.* Cum etenim omne jus (Juris namque & Legis vocabula promiscue sumuntur) sit & esse debeat id, quod Rempubl. & societatem civilem, cui constitutum est, conservat; haud inique contraria ex parte illud, quod hanc corrumpit & destruit, vim Juris ullam habere posse quis vel temerè vel stulte asseret. Quas insequuntur denique *inferiores ea, quæ pugnant cum superioribus, illisque, si non expresse, tamen tacite, contradicunt & contrariantur.* Quem enim ad modum ipsi Naturæ est contrarium & prorsus impossibile, accessorium, quatenus tale, repugnare posse suo principali; ita & idem contingit Legibus inferioribus omnem suam vim, ac robur à superioribus accipientibus: Ab hisce enim tanquam repugnantes & resistentes tandem desertæ non immerito omnem vim amittunt, & hæc destitutæ quoad Licentiam Civilem quicquam efficere in super vix possunt.

VI.

Quoniam igitur nullæ ex omnibus hisce Legibus ad constituendam causam Efficientem proximam Licentiæ Civilis revera

talem quicquam conducere possunt, nihilominus tamen hæc Le-  
ges esse debent, uti n. proxime preced. 2. heic dictum; præmissis  
negativis & apparentibus vera tandem causa hisce supponen-  
da erit, quæ sunt *Leges bonæ & valide*. Ne autem, quid proprie  
per has intelligam, præmissis prolixiori denuo discursu, cupide  
Lector, nimium & plus justo Te detineam, hoc confestim pono:  
nimirum per Leges boni & justi me intelligere eas, quæ à recto  
iudicio intellectus dictatæ & proinde huic convenientes in Re-  
publica à Magistratu summo promulgantur subditis. Cum e-  
nim bonum hominis & bonum Civitatis sint unum & idem, se-  
cundum ea, quæ tradit Arist. 1. Eth. 1. & VII. Polit. 1. & 2. & tan-  
tummodo in hoc differant, quod illud sit speciale & unius homi-  
nis, hoc vero universale & totius civitatis; homo autem sum-  
mam felicitatem consecuturus sive actiones Licentiæ Naturali  
conformes editurus Legibus à iudicio recto intellectus dictatis  
obtemperare necesse habeat, id quod prolixè tradidi in *dissert.*  
*mea Mor. de L. N.* ideo & Respublica. Id quod ipsum etiam di-  
lucide asserere videtur Cic. quando *Lib. 1. de LL.* eleganter ita  
inquit: *Sic habitote: nullo in genere disputando honeste patefieri, quid*  
*sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens*  
*humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati & in*  
*lucem educti simus, quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis societas*  
*inter ipsos.* Et paulo infra: *Natura Juris nobis explicanda est, ea-*  
*que ab hominis repetenda natura.* Nec non ibid. quando Legem  
ita definit: *Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ*  
*facienda sunt, prohibet quæ contraria.* Et pergit: *Eadem ratio, cum*  
*est in hominis mente confirmata & confecta, lex est.* It. Horn. qui in  
*Phil. Mor. Lib. IV. Cap. 3. n. 13.* Legem definit: *Lex est decretum*  
*sive Dei, sive ejus, penes quem Majestas est in Republica, vel natura*  
*impressum, vel sufficienter alias sancitum & constitutum, juxta quod*  
*vivatur, ita, ut vel simpliciter expediat & pium ac honestum est, vel ex-*  
*pediat hinc saltem aut illi Reipublicæ.*

VII.

Si proinde Causa Efficiens Licentiæ Civilis proxima consti-  
tuuntur Leges in Republica promulgatæ sive externæ solum eæ,  
quæ cum internis & à iudicio recto intellectus approbatis con-  
veni-



veniunt, & pari ratione, quemadmodum omnis Lex præceptiva vim cogendi habere debet, uti apud Arist. *X. Eth. 10.* ita & permissiva vim permittendi habeat, necesse est. Omne vero posterius tollit prius sive ei derogat; Non immerito incidenter heic decidenda venit quæstio: Quænam Leges posteriores sive posterius latae possint derogare prioribus easque tollere? Verum, quod Jus positivum sive externum & legitimum in relatione ad Jus Naturæ & quatenus ad illud & internum refertur, attinet, res altioris profecto indaginis videtur, quoniam Jus externum quod Juri Naturæ, qua tali, contrariatur, pro nullo prorsus Jure habendum, neque quicquam in universum præcipere potest. Nihilominus tamen, ne & illud, quod *præced. n. 3. heic dictum, Legem nimirum externam sive in Republica promulgatam internam & à judicio recto intellectus dictatam posse vel augere & illi aliquid addere, vel imminuere & quicquam detrabere, sive illam tollere, vel saltem confirmare, &c.* prorsus temere assertum & nullo vel exiguo rationis fundamento niti videatur; si non necessarium, tamen minus supervacaneum erit, paucissimis & vel saltem tribus verbis, quomodo hoc contingat vel contingere possit, heic demonstrare. Quo vero pacto Lex positiva sive externa internæ quicquam possit addere, demonstratu profecto est facillimum. Neminem enim, qui ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cetera (subintellige animalia) sint omnia expertia (sic hominem describit Cic. *l. 1. de LL.*) latet, summum & infinitum illud ens, cujus voluntate sumus, quicquid sumus, & in quo movemur & vivimus, *Aëtior. XVII. 28.* nos adeo & in tantum devinxisse sibi, ut omnes actiones nostras in sui ipsius beneplacitum instituamus, nec quicquam, quod eidem placere scimus, omittamus. Jam vero, quæ hæ operationes, quæ Legibus internis sunt convenientes, fiant eo evidentiores & magis ordinatæ, Jus positivum ponit & tradit certas regulas & circumstantias atque adhibet quasi candelam; Legibus proinde internis hõc modo aliquid addere in confesso est. Ast quomodo Lex externa poterit internæ sive Naturali aliquid detrabere eamque imminuere? cum conscientia in homine omnibus legum externarum pœnis prævaleat, &  
nemo

nemo honestatis & Justitiæ studiosus, quatenus talis, poterit  
permittere se ullis, quocunque nomine veniant, doloribus se-  
duci ad perpetrandum id, quod Juri Naturæ & conscientiæ con-  
trariatur. Profecto, si hoc absolute statuas, haut præter meri-  
tum negativa obtinebit; sed distinguendo tantummodo inter  
Jus strictum & æquitatem hoc dubium poterit mox resolvi. Ab-  
sit enim Legem positivam eam, quæ sine justa causa Juri Naturæ  
opponitur, posse ei vel minimum detrahere, vel etiam imminue-  
re; Ast longe aliud statuendum de hisce, quæ ex certa causa hoc  
impugnant. Etenim haut obscurum est, Justa Naturalia esse  
entia contingentia ut plurimum, nonnunquam autem propter  
accidentia nonnulla se aliter habere, id quod ipsum, quando  
fiat, sæpius latet & adeo in aprico positum non est. Si igitur,  
Magistratus certis Legibus externis sive positivis determinat,  
quibus in casibus ob certa accidentia intervenientia à Jure stri-  
cto abeundum & æquitas servanda, idque ex ratione politica  
vel (1.) non ad sistendo Juri Naturæ, ita nimirum, ut justa qua-  
dam ratione vim & effectum alicui, actui deneget, qui alias se-  
cluso hujusmodi Jure positivo haberet effectum; vel (2.) quæ-  
piam permittendo, exinde, quod conditio rerum humanarum,  
non aliter ferat; talia autem plane non approbando, sed saltim  
permittendo & cujusque conscientiæ, quam ita adcurate scru-  
tari Magistratui sive Legislatori impossibile, committendo, nec  
eum, qui fraudulenter in hisce contra Jus Naturæ aliquid agit,  
ac in conscientia injustitiæ convictus est, absolvendo; Vid. Ma-  
gnif. Dominus Struv. LL Nutricis nostræ summus Splendor, *Synt.*  
*Civ. Ex. 1. lb. 58. n. 3* hæ Leges Jus Naturæ strictum omnino qui-  
dem limitant eique quid detrahunt, nec tamen exinde ei sunt  
contrariæ, eundem in modum, sicuti nec ipsa æquitas ei est &  
dicitur contraria sed maxime conformis, immo ipsum Jus Natu-  
ræ. Quid vero tandem de hoc, an nimirum & quatenus Leges  
positivæ Jus Naturale confirmare possint, quatenus item illud  
hisce necesse habeat, sentiendum sit; illud *infra in ipso statim In-*  
*troitu heic, nec non in nonnullis etiam aliis locis*, latius habetur, cujus  
ruminatioe denuo opus non erit. Et tantum de vi & potesta-  
te Legum positivarum in relatione ad ipsum Jus Naturæ & qua-  
tenus



tenus ad illud referuntur, quod tamen in se & sua natura est & manet immutabile.

IIX.

Proximum nunc est devenire sine prolixioribus verborum ambagibus ad Legum positivarum collationem inter se, quatenus nimirum sunt mutabiles atque dependent à voluntate humana, quatenus tali, & in sola anima rationali existente, secundum ea, quæ tradita in *Dissert. Mor. de Licent. Nat. Cap. 2. n. 15.* cum eaque mutata mutantur & invicem tollunturque, priores nempe à posterioribus. Necessè autem est, omnes Leges positivas posteriores eas, quæ sunt absolutæ & cum prioribus eandem vel etiam majorem vim habent, absolute & in totum eas tollere, adeo, ut posterioribus & in contrarium latis priores omnem vim suam amittant, nec quicquam habeant reliquum. Nam cessante voluntate Majestatis cessant & Leges in voluntate positæ. Voluntatem autem mutatam esse sufficienter indicat declaratio posterior in contrarium producta, quæ cum priori ex contrariorum natura stare nequit; ideoque & Leges in ipsa positas esse mutatas nullamque vel præcipiendi vel permittendi vim amplius habere reliquam in confesso est. Longè vero aliter se res habet cum Legibus posterioribus latis iisdem, quæ cum prioribus eandem vim non habent adeoque non sunt absolutæ, sed tantum respectivæ sive personales. Da man einem was besonders machet. Hasce enim priores non in totum sed in tantum, scilicet tollere, & quod simpliciter non licitum, huic vel illi personæ, rei vel causæ contra Legum generalium sive communium, tenorem ex certa quadam & peculiari ratione licitum constituere, quodque simpliciter injustum, in hac persona justum habere, facile patet; quare & dicuntur quibusdam *Privilegia*, quasi in privos i.e. singulos collata, sive privatorum, vel potius, privatæ leges, (vulgo *Begnadigungen/ Freyheiten*) quæ singulis tantum concessa & dividuntur in particularia & singularia, de quibus vid. uberius Benjamin Schick in *Jan. Jprud. Cap. 2. hb. 23. §. 1. eqq.* Idem etiam dicendum est de Legibus, quæ ad certum tantum, tempus à Magistratu summo constitutæ sunt, quæ non nisi in illo tempore, à quo & ad quod constitutæ sunt, plenum vigorem habent

C

bent



bent, & Legibus communibus antea latis derogant, post illud vero & hoc jam præterlapso vim suam omnem amittunt, nec insuper prioribus quicquam virium suarum detrahunt, non quidem vi temporis præterlapso, sed voluntate Legislatoris.

IX.

Licet vero Magistratum & imperantium sit proprium illisque primario competat Leges præscribere, subditorum vero hisce obedire; nihilominus tamen, cum *περὶ ἐπιτῶν ἀδύνατον θεῖον νόμον* de quibuscunque Legem sanciri impossibile; Arist. *V. Eth. 14.* & ὡς περὶ τὰς ἄλλας τέχνας, καὶ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γραφῆναι, quemadmodum in aliis artibus, ita & circa civilem constitutionem impossibile ad minimum usque singula scriptis comprehendere: Id. *II. Polit. 8.* nec non præter societatem civilem communem & multæ aliæ privatæ & parvæ in Republica reperiantur societates, quarum cuique quid salutare sit, Magistratui summo scitu ferme impossibile; singulis ejusmodi parvas & salutare societates in Republica ineuntibus initio statim, quando hæc ineunt, ad eò felicius obtinendum. Scopum suum Leges sibi invicem præscribere permittendum & indulgendum est, ut itaque haut inique Leges etiam dividantur in *universales & particulares*, sive, ut res eo clarior fiat, in *superiores & inferiores*, & exinde videndum: an hæc illis etiam quicquam derogare possint? Quamvis autem hæc Leges inferiores ab ipsorum constituentium voluntate, sicut & alias provenire negari haut queat, si quidem nulla Lex, nisi à voluntate & consequenter recto iudicio intellectus proveniat, pro Lege justa habenda; attamen cum harum Legum causa non sit subditorum voluntas quævis & plena, quoniam, si hoc, nulla esset differentia inter Leges superiores & inferiores, & quilibet pro suo arbitrio viveret; Sed saltem restricta ad eò, ut nullo alio modo quàm approbatione summi Magistratus sive ejus, qui Legum promulgandarum potestatem habet, hæc Leges vim suam habere possint, id quod ut plurimum fieri solet vel *specialiter*, accedente nimirum consensu Magistratus Legibus & placitis privatorum; vel *generaliter*, dictantibus nimirum Legibus publicis, quæ privatorum conventiones Legum vim habere debeant; Ideo & hisce derogare posse, statuen-

tuendum haut est. Quibus accedit, quod nullius privati voluntas, nisi versetur circa res etiam suas & quæ ipsius arbitrio sunt subjectæ, vim Legis acquirere possit, quamvis lubentissime & ambabus concedam manibus, Leges inferiores eodem prorsus modo se habere posse circa superiores, quemadmodum se habet Lex positiva circa legem Naturæ, de quo jam dixi *n. preced. 7.*

X.

Cum autem aliud Jus iterum sit *scriptum*, aliud *non scriptum* sive *consuetudinarium*; insuper haut præter rationem erit heic inquirere, An Jus non scriptum sive consuetudinarium derogare possit Juri scripto? & profecto, si totus populus in Republica Legum promulgandarum vim habet, illud negandum haut est, quoniam idem omnino erit, sive verbis sive factis voluntatem suam, quæ pro Legibus habetur, declaraverit, adeoque hujus mutatione mutationem Legum antea scriptarum etiam introduxerit. Verum longe aliter se res habet, si Legum ferendarum vis & potestas apud Magistratum summum in Republ. tantum fuerit, hisce enim consuetudines nisi expresso vel etiam tacito ex certis tamen signis collecto summi Magistratus consensu accedente vel minimum quicquam derogare posse Jurisperitorum, adcuratorum nemo asseret. Et tantum de Legum cum Naturalium tum positivarum, & harum cum priorum tum posteriorum, superiorum & inferiorum, scriptarum & non scriptarum vi & invicem collatione.

XI.

His vero præmissis decidenda nunc venit scitu non adeo inutilis quæstio: Num Jure scripto, num vero non scripto utatur Respublica perfecta? Ad cujus eo adcuratiorem decisionem eruendam præ omnibus inquirendum prius erit in Reipubl. perfectæ sive optimæ naturam, & id, quid per eam intelligatur. Cum autem Respublica in genere sit ἡ ἀξιόλογος πόλις ἢ περὶ τὰς ἀρχαίς, τὴν αὐτὴν τρόπον γενόμενα, καὶ πρὸς τὸ κέρδιον τῆς πολιτείας, καὶ τὸ τέλος ἐκάστης τῆς κοινότητος, institutio civitatis circa Magistratus honoresque publicos, quemadmodum debeant impartiri, & in quo potestas autoritasque summa debeat confi-



stere, & qui sit finis cujusque societatis; Arist. *IV. Polit. 1.* & opti-  
ma talis, qualis vita beata, Id. *VII. Polit. 1.* quia πολιτεία βίος τις  
ἐστὶ πόλεως Republica est vita quædam civitatis. *IV. Polit. 11.*  
Vita autem beata, quæ in mediocritate consistit & sic conse-  
quenter etiam Republica, cui mediocris bonorum fortunæ pos-  
sessio, est optima omnium existimanda, quia facilis est ad obedi-  
entiam mandatorum. *ibid*; & in illa omnes ad parendum liben-  
ter & sponte sua virtute præstanti Magistratui nati videntur, *III.*  
*Polit. 13.* nec non parentes prudentiorum sive imperantium factis  
Reipubl. convenienter vivere discunt; imperantes ex adverso  
secundum suas & ex advesatione paratas virtutes operantur,  
& quæ justa & faciendæ sunt, ultrò & sponte faciunt: Rempu-  
blicam perfectam Jure non scripto sive consuetudinario tantum,  
uti, nec scripto necesse habere satis constat.

XII.

Verum, si hoc, quod temere & sine ratione non negandum,  
ex hac alia nunc fluit quæstio: An nimirum extiterit, sive actu  
existat Republica, quæ subsistat sine Jure scripto? Et certe, prius  
quod attinet, si verbis Taciti *3. annal. & infra n. 8. Cap. præ-*  
*ced. hęc* allatis fides faciendæ, res affirmative jam decisæ erit. Ad  
posterius vero quod spectat, cum de hoc nullus unquam Neote-  
ricorum Scriptorum & ne quidem ipsa experientia me possit cer-  
tiores facere, non immerito maximum hæret dubium; quin eti-  
am rebus sic stantibus & nunc ejusmodi Rempublicam existere  
posse vix assererem, in tantum in hoc extremo turbine aucta ma-  
litiæ humana, ut ne vi quidem coactiva & poenis totam corpo-  
rum substantiam tollentibus possit supprimi. Et profecto non  
sine stupore apparet sæpius & in adolescentibus pubertatem vix  
egressis tanta malitiæ, ut ne ulla quidem castigatione possit  
coërceri, quin in proverbium abierit: Ich halte wenn man dich  
Schelm in Kiemen schnitte und setze dich wieder zusammen so  
der stieß dich in Mörser so würdestu doch nicht anders. Quod ex  
merito ansam suppeditat, accidentaliter tantum heic investiga-  
re rationes & fundamenta malitiæ nonnunquam prorsus incor-  
rigibilis & tantæ, quæ & nisi tota substantia sive subjecto, cui in-  
hæret, sublato possit tolli, quin præter mentis cooperationem  
geri

geri videatur. Quamvis autem experientia testetur & exinde  
 facile concedendum, ipsum Cacodæmonem excitare posse in  
 homine appetitum vel formidinem, amorem vel odium rerum,  
 vel personarum in tantum, ut ei resisti vix queat; sicuti de his sa-  
 tis eleganter & late differit Magnif. Dominus Schilter. *Manud.*  
*Phil. Mor. ad veram nec sim. Spr. Cap. V. §. 9. seqq.* Nihilominus  
 tamen & rationibus nisi Naturalibus, negari nequit. Notum  
 est, nihil, quod fit, fieri à seipso, sed omnium rerum & ita etiam  
 in Phycis corporū dari Causam aliquam Efficientem, quæ Na-  
 turalium est vel universalis, & hæc vel simpliciter, vel secundum  
 quid: vel particularis. Cum nunc Causa Efficiens corporum  
 naturalium universalis secundum quid sit cælum atque corpora  
 cœlestia, quæ ad omnium corporum sublunarium generationes  
 concurrere dicuntur, & etiam concurrunt, adeo, ut diversæ si-  
 derum apparentiæ ac constitutiones non modo miras diversita-  
 tes in generatione plantarū causent, sed & in brutis ac ipso ho-  
 mine temperamentum varient, vel calefaciendo, vel frigefaci-  
 endo, vel alio quocunque modo; *In Dissert. vero Mor. de Li-*  
*cent. Nat. Cap. II. n. 9.* de Affectibus differens & alibi latius ex-  
 posuerim, causas rectum iudicium intellectus impediens vel  
 prorsus tollentes esse vel nimium calorem, vel frigus, vel aliud  
 quippiam; sicut & aliunde constat, v. g. eos, quorum tempera-  
 mentum est sanguineum, sæpius ob excessum caloris celeriter &  
 acute excandescere, temulentorū mores imitare, valde concu-  
 piscere. & quæ sunt alia. Exinde sua spontè sequitur, ob siderum  
 certas apparentias & constitutiones natura sua calore vel frigo-  
 re nimio adeo affectos, ut hisce tanquam maximis & inevitabi-  
 libus impedimentis obstantibus rectum iudicium intellectus, ut-  
 pote in hisce nimis debile & ad resistendum obstaculis minus fir-  
 mum, sese vix unquam exserere possit, nulla etiam vel discipli-  
 na, vel correctione, vel castigatione ad meliorem vitam posse du-  
 ci, sed voluptatibus corporis ex vitiosis suis actionibus perce-  
 ptis & percipiendis illectos eandem semper cantilenam canere,  
 sicuti & satis prolixè demonstrari posset, nisi festinandum esset  
 ad alia. Quia autem secundo tantum huc pertinet, vel uni-  
 co saltem verbo attigisse sufficiat ac transeat,

C 3

XIII. Cum



Cum igitur nulla prorsus Respublica existat & existere possit sine Jure scripto, id quod una cum jam dictis & fatis corroborat supra alleg. Tacitus *annal.* 3. scribens: *Postquam exui aequalitas & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim aut postquam Regum pertasum, Leges maluerunt &c.* & Arist. quando *IV. Polit.* 4. ὅπῃ μὴ νόμοι ἀρχοῦν, ἔκ ἐπι πολίτεια, *ubi Leges non imperant, non est Respublica*, inquit, & pergit: *δὲ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἀρχεῖν πάντων. Oportet enim legem imperare omnibus; & Lex sit ὁμολόγημα πόλεως κοινὸν, διὰ γραμμάτων περιελάττειν, πῶς χρὴ πράττειν ἕκαστα, consensus civitatis communis scriptis precipiens, quomodo quacunque peragenda sint.* Arist. *Rhet. ad Alex. Cap. 2. & 3.* Non immerito præter rationes necessitatem Legum positivarum jam satis demonstrantes & passim allatas alias insuper existere concludo. Cum primis autem ad hæc ansam præbet Aristoteles, quando elegantissime *III. Pol.* 16. *Ὁ τὸν νῦν κελεύων ἀρχεῖν, δοκεῖ κελεύειν, ἀρχεῖν τὸν θεὸν καὶ τὰς νόμους, ὁ δ' ἀνθρώπων κελεύων, περιελάττει καὶ θηρίων, qui mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum & Leges, qui verò hominem jubet, addit & belluam.* Quibus innuere videtur, Legem existere causam, ut imperetur sine Affectibus. Cum enim in non virtuosus iudicium intellectus sit mutabile & rapiatur, quocunque ducunt Affectus; Lex ex adverso oratio permanens & immutabilis; hæc quasi est obstaculum, quod ponitur malitiæ imperantium & horum vitiosæ voluntati, quæ alias affectibus hinc inde rapta & hæc per contumeliam, ista per gratiam tacere suadens causa, motuum in Republica existit, adeo, ut mens sive iudicium intellectus, quod affectibus corruptum & sibi relictum perversum, non possit Reipublicæ præesse, sed hac corrigatur atque cogatur huic imperando adhærere; non aliter ac Medici, qui agrotantes aliorum consilia audire necesse habent, secundum ea quæ tradit Arist. *III. Pol.* 16. Hanc autem quamvis unam ex causis primariis, non tamen solam esse, sed & suas habere affectas videtur denotare idem Arist. *II. Polit.* 9. quando: *ἔκ αὐτογνώμονας* (subintellige

24  
tellige κυρίως) βέλτιον κρίνεν, ἀλλὰ καὶ τὰ γράμματα ἔχουσιν νόμους. *Principes non secundum suam sententiam, sed secundum literas & Leges judicare melius est.* Cum enim, quod jam dictum, Lex sit consensus Civitatis communis scriptis præcipiens, quæ faci- enda sint; hæc efficit, ut parentes sive subditi de eo, quod ex Le- ge in eos statuitur, conqueri illudque pro injusto habere ne- queant: Quoniam volenti injuria fieri nequit. Et ex hoc por- ro tanquam ex fonte & scaturigine nunc etiam promanabit si non tota sublatio, diminutio tamen odii & invidiæ, quam subdi- ti erga imperantes possunt concipere, & sic ipsa causa motuum sive seditionum in Republica. Nam si, quod certissimum, o- dium propter malum erga eum, in quo hujus principium non est, vel plane non, vel injuste saltim potest concipi; exinde ne- cessario sequitur, neque adversus Magistratum non ex se & pro- prio judicio, sed ex Legibus delinquentibus pœnam, & sic secun- dum suam opinionem malum, infligentem odium vel debere vel posse concipi. Id quod satis colligendum ex verbis sæpius allegati Aristot. qui *III. Polit. 16.* Καὶν εἰ τινὰς ἀρχεῖν βέλτιον, τὸν τὸν καταλείποντο νόμοφύλακας ἢ ὑπηρέτας τοῖς νόμοις. *Si quædam imperare melius, hos constitui oportet custodes & ministros Legum.* Siquidem & Legibus mediantibus omnem crudelita- tem in infligendis pœnis tolli necesse est, nec cuiquam pro sua voluntate hanc exercere licebit. Et tantum pro instituti ratio- ne de causis præcipuis, quare Civitates Legibus scriptis hodie- na luce regi necesse habeant.

XIV.

Hæ autem & sufficienter nunc ponderata *Causa Efficiente* Licentiæ Civ. *proxima* ansam præbent inquirendi porro in Cau- sam L. C. *Efficientem remotam.* Cum enim Leges positivæ, qua- tenus tales, & quatenus sunt causa L. C. proxima, per se & sua natura subditis in Republica non possint innotescere, necesse est, eas promulgari & sic ab alia causa produci, quæ & sic *Causa* Licentiæ Civilis *Efficiens remota est Magistratus Legitimus.* Qui autem proprie hic & qualis sit, quique ita appelletur, satis ele- ganter demonstrat Aristoteles *IV. Polit. 15.* quando; Μάλιστα, ὡς ἀπλῶς.

ἀπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον τὰς αὐτάς, ὅσας ἔποδεδότα βελέου-  
σα. Δὲ τε περὶ τινῶν, καὶ κρινοῦ, καὶ ἐπιτάξαι. *Maxime, ut sim-  
pliciter loquar, Magistratus dicere decet hos, quibus datum est consu-  
tare de quibusdam, & iudicare, & praecepere. Et V. Polit. 9.*  
Τρεῖς γὰρ ἔχει τὰς μέλλοντας ἀρξέειν τὰς κυρίας ἀρχὰς.  
Πρῶτον μὲν, φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν. Ἐπειτα  
δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς. Τρίτον δ', ἀρετὴν καὶ δι-  
καιοσύνην ἐν ἐκάστῃ πολιτείᾳ, τὴν πρὸς τὴν πολιτείαν. *Trias  
quaedam oportet habere eos, qui administraturi sunt summos Magi-  
stratus. Primum quidem, amorem erga presentem Reipublica sta-  
tutum. Post haec potestatem maximam subeundorum munerum huius  
civitatis. Tertium vero, virtutem & iustitiam in quacunque Re-  
publica, qua faciat ad eam Rempublicam. Nec non VII. Polit. 2.*  
Ἀνάγκη τὸν τε εὐφροσύνην πρὸς τὸν βελτίω σκοπὸν συντάττε-  
σαι, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἑκάστοι, καὶ κοινῇ τὴν πολιτείαν. *Neces-  
se est, recte sapiendum ad meliorem finem componere se, & hominum  
quemlibet, & publice civitatem.* Hae omnia elegantissime & satis  
ingeniose olim denotabantur in Imperio nostro Romano tripli-  
ci corona, quae summo Imperatori post electionem à Principibus  
Germaniae factam imponebatur, & quidem ferrea prima, quam  
Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi accipiebat, ut huius  
intuitu tanquam fortissimus & invictissimus Rebelles vinceret,  
quemadmodum ferrum designat fortitudinem. Altera argen-  
tea, quae Italiam ingresso ab Archiepiscopo Mediolanensi im-  
ponebatur, quasi signum munditiae & claritatis, qua Princeps  
splendere debet. Tertia aurea, qua Romae coronabatur à Papa  
in id, ut tanquam aurum, quod omnibus metallis excellentius,  
excellentior esset omnibus aliis Regibus & Principibus quoad  
potentiam & Iustitiam.

XV.

Quemadmodum autem in genere tres Rerumpublicarum  
species rectae constituuntur, *Regnum* nimirum, *Aristocratia* &  
*Politia*, quibus è diametro opponuntur vitiosae & corruptae *Ty-  
rannis*, *Oligarchia* & *Democratia*; sicut hoc latius deduxit passim  
in libris suis Politicorum Aristoteles, & uno verbo repetivit *IV.*

*Pol. 2.*



Polit. 2. Ita & triplicem Magistratum legitimum, eumque ubi vel unus solus, vel ubi pauci, plures tamen uno indivisim, vel ubi omnes virtute præstantes gubernant eos, qui gubernari valent, ad salutem illius Reipublicæ, atq; sic consequenter triplicem causam Licentiæ Civilis Efficientem remotam constitui necesse est, quod probat idem Arist. III. Polit. 18.

XVI.

Non immerito, cum Magistratus tot & tantis in Republica Herculeis laboribus (liceat ita loqui) solus sufficere nequeat, nec tantummodo sibi ipsi bene consulere sed & aliorum consiliis uti, immo sæpius Consiliariorum curæ maximam Regiminis partem committere necesse habeat, id quod nisi aliunde constaret, sufficienter posset colligi ex ipso Procæmio, quod sacratissimus Imperator suis Institutionibus præposuit; heic occurrit quæstio: Quousque Christianus & verus Politicus possit vel debeat promovere salutem Reipublicæ? Wie weit ein Christlicher und Gottsfürchtiger Politicus des Stats Absehen mit guten Gewissen beobachten könne und solle? Quamvis autem nunc plane improbandum sit, quod sæpius fieri solet, omnia deliberata nimirum, ad Regis sive Principis nutum ac ductum dirigi debere, id quod à Consiliariis Cambysis olim observatum esse testis est Herod. l. 3. Cap. 31. qui interrogati à Rege, num quæ lex sit, quæ sinat volentem matrimonium cum sorore inire? responderunt: Nullam quidem se invenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem; quandam vero se reperire legem, licere Persarum Regi, quod libet: Ita nec melior de iis sententia est ferenda, qui omnem deliberatorum suorum nervum ad solum Regnum, Reipubl. Statum, sui que ipsius personam intendunt, adeoque in illud absurdi tandem delabuntur, ut scientiam Politicam statuunt esse peritiam præ utilitate Reipublicæ Deum religionemque omnem contra communem omnium gentium certis experimentis edoctorum sententiam aspernandi; nec non omnia ad rationem, Status exigunt, fas omne & nefas sola illa metiuntur, atque id demum vel solum, quod ratio Status exposulat, agendum censent. Certe longe aliter & satis eleganter sentit de vero fine Politicæ Vir Civili prudentia celeberrimus, Herm. Conring. in nor.

D

ad

ad Sciopp. *Pad. Polit.* fol. 161, quando: *Finis unicus Politicæ non est Status conservatio, sed felicitas civilis societatis, qua reverà absolvi-  
tur exercitio virtutis cum rerum sufficientia conjuncto.* Si vero ex  
variis & multis hinc inde sententiis certa quædam eligenda est,  
omnium sane optime facientii, qui omnia deliberata & cogita-  
ta sua in salutem Reipublicæ suscepta ad recti iudicii intellectus  
sive rationis trutinam examinant, eique omnibus obstaculis re-  
motis soli obsequiū præstant, quoniam *juxta Brocardicum Ratio*  
semper hortatur ad optima & præstitum iudicio recti intellectus  
obsequium reddit virum beatum, quippe quod semper requirit  
ut honestatem utilitati, salutem æternam temporali & commu-  
ne bonum privato præferamus. Huic sententiæ idem accedere  
videtur laudatissimus jam Conring. in aureo suo Tract. de  
Prud. Civ. quando *Cap. 2. p. 16. Quum justa quidem Respublica ad  
sui salutem nihil exigant quod ab honesto dissentiat, sed illa sola eis pro-  
sint maxime, quæ virtuti congruunt; habebit quidem verus Politicus  
pro scopo consiliorum rationem Status & salutem publicam supre-  
mam legem judicabit, hisce tamen civitatibus nihil commendabit quod  
sit turpe, aut ab honesti limitibus discedat. Qui secus fecerit non magis  
illo ipso agit Politicum, quam medicinam professus medicum se præbet,  
dum pro pharmaco miscet toxicum.* Sicuti de hisce tractat etiam  
pluribus *ibid. Cap. 4. § 13.*

XVII.

Missis vero eis regrediendum est *ad n. proxime preced. 14.*  
& hisce, quæ in eo dicta sunt, fundamenti loco positis dispicien-  
dum uberius de Magistratibus in Rebus publicis corruptis, An  
nimirum & quatenus pro legitimis adeoque causa L. C. Efficien-  
te remota sint habendi? Tyrannidem verò quod spectat, cum  
hæc sit *μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῆ μοναρχῆς*, prin-  
cipatus unius, spectans ad id, quod conducit ipsi, qui solus do-  
minatur, secundum *Arist. III. Polit. 7.* & Tyrannus τὸ εαυτῶ συμ-  
Φέρον σκοπῆ suam utilitatem spectet, secundum eund. *VIII. Eth.*  
*12. § V. Polit. 10. ἡ κατὰ τὰ ἐκ τῆ δῆμος ἢ τῆ πλήθους,*  
& fiat ex populo ac multitudine *V. Polit. 10.* nec ipsi, quod in Ma-  
gistratu legitimo requiritur, ἀποδέδωται βουλευσαδαί τε περι-  
τῶν, ἢ κελῖναι, ἢ ἐπιτάξαι, datum consultare de quibusdam &  
judi.

judicare & præcipere, nec ἔχη Φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, habeat amorem erga præsentem statum Reipublicæ; sed sua sponte quæstus, imperii & Principatus cupidine ductus quærat imperium, id quod una cum experientia satis probat Arist. *III. Polit. 15.* & Tacit. *2. Hist.* Exinde illum Magistratum legitimum & sic causam L. C. remotam dici haut posse satis constat; nec opus pluribus hic demonstrare, in tyrannide, quatenus tali, vix dari Licentiam Civilem; cum in ea non reperiantur certæ Leges, adeoque vi illarum aliquid non possit permitti, sed σκοπὸς τυραννικὸς ἢ, τὸ ἡδύ, propositum sive objectum tyrannicum sit, quod placet. Arist. *V. Polit. 10.* & prolixum in eo esse, quod Arist. vel tribus verbis proponit: *Tyrannidem nimirum plane non esse Rempublicam. IV. Polit. 8.* Quamvis non negaverim, distingvendum etiam esse inter imperii acquisitionem & administrationem, neque adseruerim ab illa ad hanc consequentiam in univ-ersum & semper procedere; id quod una cum aliis & ex Historicorum monumentis exempla eorum, qui imperium male quidem adquisiverunt, sed optime administrarunt, sat probant. Eos vero longa serie heic in medium proferre & enarrare è re non est, remitto B. L. ad eos, qui de Republica cum Romana tum etiam aliis & harum immutationibus scripserunt pluribus.

XVIII.

Quod autem de Magistratu in Tyrannico, idem & de eo in Oligarchico statu videtur statuendum. Cum enim Oligarchia stricte dicta sit, ὅταν ὡσι κύριοι τῆς πολιτείας, οἱ τὰς ἰσίας ἔχοντες, quando imperantes in Republica sunt locupletes; Arist. *III. Polit. 8.* πρὸς τὸ συμφέρον, τὸ τῶν εὐπείρων, spectans ad commodum divitum, Id. *ibid. Cap. 7.* αὐτῆς καὶ τέλος πλεῖστος, ipsiusque finis & scopus sint divitiæ, *V. Polit. 10. & I. Rhet. 8.* ὀλιγαρχικοί καὶ τὸ φασι δίκαιον ὃ ἡ ἀνδύξη τῆ πλείονι ἰσία, & oligarchici hoc dicant justum, quod visum fuerit majori opulentia, ὅτι καὶ πλεῖστος ἰσίας φασι κρίνεσθαι δεῖν, quia secundum majores opes dicunt judicari oportere. *VI. Polit. 3.* & ἐν πολλαῖς ὀλιγαρχίαις ἔκ ἐξέσι ληματούχεσθαι, ἀλλὰ νόμοι εἰσὶν οἱ καλύοντες, in multis Oligarchiis non licet rem quærere, sed Leges sunt hoc

præcipientes; V. Polit. 12. neque γῆτα ἐνδέχεται εἶναι πολίτην  
ἔτι ἀπὸ τιμημάτων μακρῶν αἰ μετέξει τῶν ἀρχῶν hominem  
tenuem sive operarium contingat esse civem, quoniam à cen-  
sibus magnis fiunt participationes Magistratuum, III. Pol. 5. adeo-  
que imperantes in Oligarchia non habeant δύναμιν μεγίστην τῶν  
ἔργων τῆς ἀρχῆς, potestatem maximam subeundorum munerum  
imperii, μηδὲ δικαιοσύνην καὶ ἀρετήν neque justitiam & virtutem  
μηδὲ φρονῶσι πρὸς τὸν βελτίω σκοπὸν αὐτῆς σιτυάτλεοθα  
neque sapiant ad meliorem finem seipsum componere, quæ ta-  
men in Magistratu legitimo, quatenus tali, secundum supradicta n.  
14. heic necessario requiruntur, ideo & illum hoc & consequen-  
ter causæ L. C. Efficientis Remotæ nomine minime venire posse  
palam est. Id quod & sufficienter probare videtur sæpius al-  
leg Arist. quando Oligarchiam deterrimam Reipublicæ formam  
esse latius deducit VIII. Eth. 10.

#### XIX.

Nec aliter sentiendum est de stricte ita dicta Democratia.  
Si enim hæc est, ὅταν κύριοι εἰσὶν οἱ μὴ κεκτημένοι πλῆθος εἰσίας,  
ἀλλ' ἀποροί, quando imperantes sunt, qui non possident mul-  
tas divitias, sed pauperes, Arist. III. Polit. 8. & duplex ejus finis,  
libertas unus, alter libera voluntas, sive ut quisque vivat & fa-  
ciat pro lubitu, quod voluerit; uti eleganter idem tradit Arist.  
V. Polit. 9. quando: Δύο εἰσιν, οἷς ἡ δημοκρατία δοκεῖ ἀρίστω, τῷ  
τὸ πλεῖον εἶναι κύριον, καὶ τῇ ἐλευθερίᾳ. τὸ μὲν γὰρ δίκαιον, ἴσον  
δοκεῖ εἶναι ἴσον δ', ὅτι ἂν δόξη τῷ πλήθει, τῷ ἴναι κύριον.  
Ἐλευθερον δὲ καὶ ἴσον, τὸ, ὅτι ἂν βέλτεται πῶς ποιεῖν. Ὡστε ζῆ  
ὅτι ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος, ὡς βέλτεται, καὶ εἰς ὃ  
ζῆζων. Duo sunt, quibus status popularis videtur defini, uno, ut  
plures in sua manu habeant Republicam, altero libertate. Justum  
enim æquum esse videtur: æquum autem, quodcumque visum fuerit  
multitudini, hoc ratum esse. Liberum autem & æquum, quodcum-  
que quis voluerit facere. Sic vivit in hujusmodi Democratia unus-  
quisque quomodo vult & ad quod gliscit. Neque imperantes in  
Statu populari, quatenus tali & stricte sic dicto, quod à Magistra-  
tu re-

14  
tu revera tali requiri *supra* dictum est, ob minus adcuratam educationem & adsvestationem ad virtutes & exinde provenientem habitum vitiorum (quamvis ex carduo etiam non nasci rosam vel hyacinthum testatur & experientia & Plutarch. *Lib. 1. de Educ. Puer.*) in simulq; adjacentes voluptates & molestias in anima sensitiva radicatae & rationali ut plurimum contrarias se ipsos ad meliorem finem componere possunt, & si hoc non, multo minus civitatem; Exinde neque Magistratui in Statu populari stricte sic dicto nomen Magistratus legitimi convenire, eumque causam L. C. *supra* n. 11. *Cap. preced. definita* Efficientem Remotam dici posse merito concludo.

XX.

Quamvis autem assertionum harum fundamenta & rationes ex ipsius Philosophorum Principis nobis adhuc extantibus reliquiis & notitiis, ex quibus communi cordatorum judicio Civilis doctrina non minus feliciori quam efficaciori modo comparatur, varie conquistata & eruta nec non ipsis thesibus inserta facile pateant, & ut uno verbo dicam, sint *defectus & absentia Legum bonarum & justarum sive Juris illius legitimi vel revera talis*, de quo *supra* latius dictum. Nihilominus tamen, cum & Magistratus in Rebus publicis corruptis prætendant aliquod Jus, non quidem verum, sed saltim fictitium & putativum; priusquam ad alia progrediar, lubet hic Tua pace L. B. paululum subsistere, & in hoc Jus prætentum sive fictitium quale nimirum sit, altius paulo inquirere: ne & hoc sicco, quod dicitur, pede præterito ad scopum propositum quid faciens omisisse videar, adeoque in hoc consequendo impediar.

XXI.

Erit autem illud Jus, quo utuntur Magistratus in Rebus publicis corruptis, *ipsorum vitiosorum imperantium voluntas subditis necessitatem operandi imponens*. Jus enim in genere est Regula sive ordinatio & principium à superiori præscriptum, secundum quod actiones hominum instituendæ, ut sint justæ, juxta ea, quæ tradit Magnit. Dn. Struv. *in Jprud. Rom. Germ. For. Lib. 1. Tit. 2. aph. 1. & Synt. Civ. Ex. 1. rb. 47.* adeoque imperare, *secundum vulgaram sententiam*, principium motus parentibus existere

stere, & hoc: vim addere, ut fiat, quod volumus. Jam autem, voluntas imperantium in Rebuspublicis vitiosa est vitiosa & corrupta, quia oritur ex inordinato amore sui, id quod abunde potest colligi ex n. proxime preced. 17. 18. & 19. dum subditorum, & omnium reliquorum in Republica felicitatem in damnis habent, & tantum in id laborant, quo sibi solis consulant & hoc agant, quo omnia sui gratia fiant & in propriam non vero Reipublicæ utilitatem vertantur; &, quia oritur ex affectu, patiunturque imperantes se regi affectibus: exinde palam est, eos destitutos esse prudentia & virtutibus moralibus, quatenus talibus, & hisce destitutos iudicium quoque intellectus vel corruptum vel plane nullum habere. Si ergo hoc (quia, quale iudicium intellectus practici in homine, talis & voluntas) & voluntatem ipsorum vitiosam nec non exinde proveniens Jus consequenter legitimum esse non posse facile constat. Et hæc de Jure putativo in Rebuspublicis corruptis, quatenus talibus, *in genere.*

XXII.

*In specie* vero, quod Jus (liceat ita appellare) in quavis Republica corrupta attinet, illud, quod in Statu Tyrannico obtinet quia, compositum est ex jure Oligarchico & Democratico, consistet ex una parte in ablatione omnium bonorum, quæ habebunt divites; ex altera vero in impositione durissimorum, quorumcunque onerum, laborum & servitiorum, quæcunque modo à pauperibus poterunt exigere.

XXIII.

Jus in statu Oligarchico quod spectat; cum *supra* dictum sit, imperare Magistratus esse *principium motus parentibus existere*, ex quibus tanquam consequens fluit, subditorum esse *accommodare se moribus imperantium*; (quoniam ut Regum lituos, sic mores castra sequi & Regis ad exemplum totum componi orbem, debere palam est) In Statu autem Oligarchico imperantes sint divites, ideò & horum moribus se accommodare erit consequens. Id quod omnium optime fiet, si pauperes divitibus tanquam secundum suam opinionem omnia bona habentibus summum exhibuerint honorem ab iisque secundum suos mores passi fuerint se contemni, nec non sibi ipsis uti tanquam eorum  
instru-



instrumentis, atque omnia, quæcunque modo poterunt, omni tempore præstiterint servitia; Quod vero omnium maximum, & primo primum, præter labores corporis lubentissimo animo & prorsus non contradicentes singula sive juste sive injuste imposita solverint tributa & onera, nec non in omnibus tanquam servos se illis exhibuerint. Quemadmodum ex adverso justum in Statu Democratico erit, si divites succumbentes ad mores pauperum se applicaverint, sibi que omnia bona sive palam sive clam, malitiose & callide auferri & publicari æquo animo tulerint & passi fuerint. Quoniam & in hoc Statu tritum illud, *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas*, obtinet & hæc Imperantium malitiosa voluntas ut plurimum eò tendit, ut magis malitiose & lucri causa fiat læsio.

XXIV.

Hisce vero omnibus & singulis justo animi æquilibrio expensis non immerito L. B. Tuæ sententiæ nunc relinquo, num in Rebus publicis corruptis vel minimum quicquam Licentiæ Civilis *supra Cap. præced. n. 11. definita* possit esse reliquum; Quamvis non statim inde colligendum, Respubl. corruptas & minus laudandas prorsus injustas aut Naturæ divinisque Legibus esse contrarias. De quibus vid. Vir summus Herm. Conring. in *Exerc. de Majest. Civ. auctor. & Offic. circa sacra* lib. 8. Et hætenus de ejus Causa Efficiente cum *proxima tum remota*.

XXV.

Excipit Efficientem secundum Methodum propositam, proxime finalis sive Finis, qui, cum alias à Philosophis in communi itidem duplex constituatur, unus, Remotus alter intermedius sive proximus; *Remotus Ultimus* Licentiæ Civilis finis (quem haut sine ratione primo loco pono, ut intermedius exinde dilucidius appareat) *in definitione supra posita* expressus erit *Reipublicæ Salus & felicitas*, quæ, in quo proprie consistat, ut eo latius pateat, necesse est paulisper regredi ad præcedentia. Dicitur est *n. præced. 6. hujus Cap. felicitatem sive S. Bonum* (horum vocabulorum una est significatio secundum Arist. *I. Eth. 2.*) hominis & civitatis esse unum & idem, juxta assertum ipsius fundamenti loco ibi allegati Arist. *I. Eth. 1. & VII. Polit. 1. & 2.*

Jam



Jam autem felicitas sive beatitudo unius hominis dicitur  
ψυχῆς ἐνέργεια καὶ ἀρετὴν ποῖά τις, animi operatio secundum  
virtutem. Vid. Arist. 1. Eth. 10. & 11. Eudem. 1. Ergo eandem quoq;  
dici Reipublicæ satis patet, id quod, nisi aliunde palam esset,  
sufficienter probarent verba Arist. qui VII. Pol. 1. Ἀνδρεία πό-  
λεως, καὶ δικαιοσύνη, καὶ φρόνησις τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ μορ-  
φήν ὡν μετὰ τῶν ἑκάστος τῶν ἀνθρώπων λέγεται δικαιοσύνη, καὶ  
φρόνησις, καὶ σώφρων. Fortitudo civitatis est justitia est prudentia  
eandem habet vim est formam; quarum particeps quivis hominum  
dicitur justus est prudens est temperans. & ibid. Cap. 2. Ὅτι μὲν ἀ-  
γαθοὶ εἶναι πολιτείαν ἀρίστην ταύτην, καὶ ἢ τὰξιν καὶ ἀ-  
ριστῶν, ἀρίστα πράττει καὶ ζῶν μακαρίως, φανερόν ἐστι. Quod  
necessarium illam esse optimam Rempublicam, per cuius institutionem  
unusquisque optime agat est beate vivat, manifestum est.

XXVI.

Si proinde Licentiæ Civilis finis est Reipubl. Salus & felici-  
tas, quæ cum felicitate hominis est eadem & consistit in actione  
secundum virtutem, ac secundum supra etiam dicta ab illa tantum  
in hoc differt, quod illa sit specialis & unius hominis, hæc vero  
universalis & totius civitatis; profecto præter rem non erit, heic  
paulisper subsistere atque adcuratius paulo inquirere in funda-  
menta & rationes, quare tam variæ & sibi invicem diversissimæ  
Respublicæ existant in hoc universo? Hasce autem omnium,  
commodissime satis eleganter & quasi in compendio ob ocu-  
los ponit ipse Arist. jam alleg. VII. Pol. 2. quando: Ὅσοι ἐν πλεῖ-  
στῶ τὸ ζῆν εὐ τίθενται ἐφ' ἑνὸς, ἔτοι καὶ τὴν πόλιν ὅλην, εἴαν ἢ  
πλεῖστα, μακαρίζουσιν. Ὅσοι τε τὸν τυραννικὸν βίον μάλιστα τι-  
μῶσιν, ἔτοι καὶ πόλιν τὴν πλείων ἀρχουσιν, εὐδαιμονεστάτην αὖ  
εἶναι φαίεν. Ἐἰ τὲ τις τὸν ἕνα δι' ἀρετὴν ἀποδέχεται, καὶ πό-  
λιν εὐδαιμονετέραν φύσει τὴν σπυδαϊοτέραν. Quicumque in di-  
vitiis bene vivere ponunt quoad unum, sive de uno loquentes, hi est ci-  
vitatem totam, si sit dives, beatam predicant: Quicumque autem ty-  
rannicam vitam maxime sufficiunt, hi est civitatem plurimis impe-  
tantem beatissimam esse dicent: Si vero quis unum propter virtutem  
pro-



14  
probat, & civitatem beatioverem dicit, quæ est stud. osior. Quibus in-  
nuit diversam de summa hominis & consequenter cujusvis Rei-  
publicæ felicitate & salute sententiam & opinionem. Si igitur  
hæc non sit eadem, sed quivis de beatitudine cujusdam Reipu-  
blicæ judicium ferens petat sententiæ suæ fundamentum ab eo,  
quod ipse pro sua beatitudine propria habet; & v. g. in divitiis  
suam felicitatem ponens Rempublicam etiam bonorum copiis  
abundantem felicissimam prædicet; fortitudinem itidem pro  
summa felicitate habens magni faciat etiam res in bello optime  
gerentem Rempublicam, & sic in ceteris: Ideo & varias ac pro  
diversitate opinionum de summa Rerumpublicarum felicitate  
diversissimas etiam existere oportere Respublicas, necesse est.  
Huic accedit, quod secundum Arist. *1. Pol. 8. ἡ φύσις μηδὲν, μήτε  
ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην* natura nihil, neque imperfectum, ne-  
que faciat frustra. Jam Respublica sive Civitas est quædam,  
civium societas Arist. *1. Pol. 1. & 111. Pol. 3.* natura facta *1. Pol. 2.*  
& boni alicujus gratia constituta *ibid. Cap. 1.* E. necesse est, hanc  
vel aliquid, vel nihil operari. Eam vero nihil operari statuere  
est absurdum, quia hoc modo esset frustra & nullius gratia insti-  
tuta, quod contra allegata ipsius Philosophorum Principis & i-  
psius experientię principia. Si ergo aliquid operatur, necesse  
est, hoc boni alicujus gratia fieri, quia *τὸ εἶναι δοκῶντος ἀγα-  
θὸ χάριν πάντα πράττουσιν πάντες*, ejus, quod videtur bonum,  
esse, gratia omnia agunt omnes Arist. *1. Polit. 1.* Cum autem hoc  
bonum non sit unum, quod jam demonstratum, & quævis civitas  
sive Respublica, quæ est unum quoddam ex multis hominibus,  
laboret in consequendo illo bono, quod sibi videtur bonum ef-  
se, idque per certa & huic fini sive bono adcommodata media;  
Quoniam sine certis & huic bono adcommodatis mediis illud  
ipsum impetratu impossibile, hæc itidem nunquam non hujus  
boni natura præcise exigit. Ideo & exinde varias & diversas  
necessario existere Respublicas, earumque beatitudinem vel in  
operatione secundum virtutes, vel in alio quopiam, quod pro  
fine habetur, consistere, facile patet.

E

XXVII.



## XXVII.

Cum autem tam variæ & sibi invicem diversæ dentur Respublicæ, inter omnes tamen hæc perfecta, quam uti Jure non scripto supra n. 11. hæc demonstravi, non existat, id quod cum supra assertis n. 12. hæc & ipsa confirmat experientia; non injustum erit, hæc ponderare causas, quæ impediunt, quo hæc minus existere possit? Et profecto, Respublicas corruptas quod spectat, cum harum judicium de vera Rerumpublicarum perfectarum felicitate & beatitudine sit alienum, adeoque in vero harum fine aberrant; exinde eas hic & nunc & quatenus tales corruptas semper existere, nec rebus sic stantibus ad perfectum Reipubl. Statum posse reduci, est certissimum. Ast quid de hisce dicendum erit, qui in judicio faciendo de Reipublicæ perfectæ vero fine à recto tramite non aberrant, eumque statuunt operationem secundum virtutes, nec non ad illum consequendum omnem nervum intendunt, nec tamen hunc obtinent? Dicitur est n. præced. Nullum bonum sine certis & huic bono accommodatis mediis posse obtineri, & hæc naturam illius boni præcise semper requirere. Nunc vero dispiciendum erit, an nim. media, quæ ad operationem civium secundum virtutes adeoque summam Reipubl. perfectæ felicitatem consequendam, adhibentur, sint talia, quæ hujus felicitatis natura præcise exigat.

## XXVIII.

Non equidem diffidendum est, omnes Respubl. non corruptas & a vitiosis abeuntes ad formandos in hac vita politicos mores & stabiliendam exterioram quandam honestatem, quo intuito exinde sit publica tranquillitas, tueri, & recte quidem, *Justitiam universalem*: quæ non immerito etiam est & constituitur *Licentia Civilis Finis proximus sive intermedius*, quia ἐν δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετήσι, Justitia in sese virtutes continet omnes; Arist. *V. Eth. 3. § IV. Eudem. 1. ac δικαιοσύνης ἐστὶ τὸ δυναμιτικὸν εἶναι τῶν κατ' ἀξίαν, καὶ σώζειν τὰ πάτρια. ἔστι, καὶ τὰ νόμιμα καὶ τὸ σώζειν τῶν γεγραμμένων νόμοις, καὶ τὸ ἀληθεύειν ἐν τῷ διαφέρειν, καὶ τὸ διαφυλάττειν τὰς ὁμολογίας, Justitiæ est,*

est, ejus, quod par dignumque quoque sit, qualibet in re rationem habere & mores ac instituta patria scriptasque leges conservare, veritatem, ubicunque refert, dicere, pactaque custodire &c. Arist. *Libr. de Virt. & vitiis*. nec non ipsius Cacodæmonis de carminibus Poëtarum illius Principis, Virgilio, rogata sententia fuisse fertur; Nullum in omnibus operibus reperiri verum meliorem hoc:

*Discite Justitiam moniti & non temnere Divos.*

Ast eam in hisce a deo administrari & obtineri, prout natura summæ Reip. perfectæ felicitatis exigit, maximum profecto hæret dubium. Notum est, cum intellectu humano in genere ita comparatum esse, ut ad eo feliciorum rerum abstrusarum cognitionem adquirendam semper procedat à notioribus ad minus nota, & sic deinceps, usque tandem ad ipsam desideratam rei scientiam penetret; quam etiam alio modo & in notioribus tantum subsistens, nec operando progrediens, consequi nequit. Nec aliter res sese habet cum laboribus, qui adhibentur ad consecutionem summæ felicitatis Reipublicæ, & vel maxime consistunt in Legibus ferendis, quoniam, quod supra etiam n. 2. hic dictum, in Legibus consistit Salus civitatis. In hisce Legislator tantum subsistit in notioribus, de minus notis parum sollicitus, quoniam *secundum vulgata* de occultis non judicat Prætor, nec minima curat. Jam notiora sunt, quæ magis sunt obvia, & habentur vitia & vitiosi homines; rari quippe boni, *secundum illud Poeta*, plerique mali. Dum igitur hoc agit, & Justitiam universalem prohibendo tantum actiones ex vitiis fluentes administrat, constitutis pœnis in eos, qui vitiosa operantur, & vitiis tantum expellendis ac puniendis peccatis operam dat; solummodo itidem in eo, ut homines fugiant actiones vitiosas metu pœnarum, laborat, non vero in virtutibus & Justitia introducendis; exinde verum perfectæ Reipublicæ finem adeoque ipsam perfectam Rempublicam impetratu esse impossibilem, palam est; quoniam nullæ prorsus Leges, quamcunque etiam adhibuerint pœnam, poterunt id efficere, ut quis virtuose operetur: & sicut omnis actio ab intentione & fine, ita etiam omnis virtus ex promptitudine & animo operantis æstimatur, nec ille, qui metu pœnarum ea-



dem, quæ virtuosus, agit, continuo virtuosus appellandus, sed ille tantum, qui sua sponte, non vero vi externa coactus, ad actiones virtuosas edendas excitatur; id quod vel sola adsefectio efficit, nec natura homini est insitum: sicut hoc late deduxit Arist. II. Eth. 1. § 1, Magn. Moral. 6, ac hæc rude tantum quasi quoddam futuræ culturæ suppeditat initium Cic. in Cat. Maj. 1. 2, de Natur. Deor. 1. 1, de Off. ars vero eam alioqui cæcam ducit, annitentem juvat, vacillantem sustentat & aberrantem corrigit. Vid. Plut. Lib. 1, de Educat. Puer.

XXIX.

Nullus autem dubito, quin hæc præter rationem & contra veritatem statuisse videar, cum eis, duris equidem, vel ipsissima contradicat experientia, nec non una cum legibus latis & prohibentibus vitiosas civium actiones summa & adcuratissima plurimarum Rerumpublicarum in Educatione & Institutione Juventutis adhibita cura & diligentia. Id quod equidem non negaverim, si illa fiat hunc in finem primario, ut exinde debito modo virtutes excolantur, idque fiat ad consequendam summam Reipublicæ perfectæ felicitatem. Verum cum hic Educationis & institutionis Juventutis finis non sit primarius, sed saltem secundarius, id quod exinde luce meridiana clarius evadet, quod omnis diligentia, si quæ Educationi Juventutis adhuc impenditur, adhibeatur hanc tantum ob causam, ut tanta comparatur eruditio, ex qua liberi vel divinum verbum prædicando, vel patrocinium partibus litigantibus in publicis judiciis præbendo, vel artem medicam exercendo, vel alio quocunq; modo honeste sese suosque possint alere; ratione vero operationum, suarum sibi relictæ adhæreant voluptatibus corporis, ignavia, otio, aliisque vitiis, ex quorum deinde exercitio acquiritur habitus, (quia, qualiscunque cujusque crebra operatio, talis etiam in eo gignitur habitus) quò impediti artem boni & justi, adeoque operationum virtuosarum scientiam, quam actu primo ab Informatoribus suis adquisiverunt, in actum secundum deducere nequeunt; nec non consequenter exinde prudentia, qua virtuosas operationes & sic finem & scopum Reipubl. perfectæ appetere & operationes huic fini inservientes eligere deberent, destituti

24  
tuti, harum loco operationes corrupto suo iudicio convenientes  
& à vero fine alienas eligunt. Exinde educationem & insti-  
tutionem Juventutis in Rebus publicis primariò hunc in finem,  
ut exinde virtutes excolantur, fieri, adeoque hanc, quatenus ta-  
lem, legitimum perfectæ Reipublicæ acquirendæ & à summæ  
Reipubl. perfectæ felicitatis natura præscriptum medium esse,  
vix adseruero. Nec dicam in præsentis de iis, qui à primo sta-  
tim matris amplexu & gremio ab omni informatione, discipli-  
na & institutione ab alienati cum sciendis etiam facienda igno-  
rant, & ita brutorum vitam vivunt; quantum nimirù hi ad sum-  
mæ Reipubl. perfectæ felicitatis consecutionem conferre pos-  
sint? Non vero immerito, Serenissime ac gloriosissimæ memoriæ  
Princeps ac Domine, Domine ERNESTE, Dux Saxonix, Juliaci,  
Clivix ac Montium &c. &c. quem omnium virtutum, & cum pri-  
mis Pietatis, tanquam ceterarum basis, encomia jam tum omni-  
bus admirabilem reddiderunt, cujusque & cineres devota sem-  
per pietate Tui venerabuntur; de Tua, cum in omnibus aliis,  
quæ optimum Principem decent, tum præcipue in Educatione  
& Institutione Juventutis (haut ignarus, quantum momenti in  
ea interpositum sit) adhibita summa & hodierna luce profecto  
rara ferme cura & diligentia silentium nullò dies afferet, hæc cele-  
brabitur non solum nostris & Tuorum jam viventium, sed & po-  
sterorum literis atque lingvis, quin nec fera ætas de Tuis hisce  
laudibus conticescet; & quantum operibus diuturnitas detra-  
het, tantum illa Te efferet laudibus.

XXX.

Quamvis autem iusta & debita Juventutis educatio & in-  
stitutio ad consequendam summam Reipublicæ perfectæ felici-  
tatem magnam, immò maximam partem faciat; nec tamen hanc  
solam sufficere satis etiam constat. Quem enim ad modum fa-  
ber lignarius vel Mechanicus perfectissimus, & in hac arte sum-  
mam scientiam consecutus, terra tamen, securi, aliisque ad ædifi-  
cationem domus prærequisitis necessariis instrumentis destitu-  
tus, ne minimum quicquam in exstruenda domo perficere po-  
test; Pari ratione virtuosissimus, & vel (posito, non vero conces-  
so) virtute perfecta præditus, nunquam tamen hanc sine neces-  
sariis.

E. 3.

fariis ad hanc excolendam requisitis & instrumentis, quæ habentur *Opes & Divitia*, sive *bona externa*, exercebit. Et profecto egenus omnique destitutus pecunia, quamvis virtuosus, liberalitatem vel magnificentiam nunquam exercebit, vel exercere poterit; nec fortuna adversa solo pane & aqua vitam consumere coactus poterit dici temperans: quoniam exinde plane non potest de cuiusdam temperantia iudicium fieri, si, unde sumtuose vivat, plane non habet. Quin hoc ipso, dum in Republica viventes, quamvis virtuosus, necessitate coguntur ipsi peragere opera mechanica, rustica, aliave ad comparanda ea, quibus ad quotidianum vitæ usum indigent, impediuntur edere actiones virtuosas; quippe quæ ab iis, qui laboribus corporis intenti esse coguntur, propter exiguum temporis spatium, quod actionibus virtuosis impendendum adhuc est residuum, peragi vix possunt, sed requirunt ab eiusmodi laboribus corporis hominem immunem, siquidem δὲ ἀολῆς ἔπρὸς τὴν γένεσιν τῆς ἀρετῆς, ἔπρὸς τὰς πράξεις τὰς πολιτικάς, opus est otio & ad comparationem virtutis & ad operationes civiles, secundum Arist. *VII. Polit. 9*. Et hæc sunt rationes & causæ, quare inter tam plures & sibi invicem diversissimas Respublicas nulla tamen perfecta & Jure non scripto utens reperiatur. Licet non etiam negaverim, rationes jam allatas, & sic defectum bonorum externorum, causam etiam esse, quare hodierna luce Civitates absolute liberæ adeo rarissimæ existant, quippe in hisce cives sumtibus ad bella necessaria gerenda destituti peritiam artis militaris, qua alias satis excellunt, exercere nequeunt, adeoque se aliorum imperio & tutelæ, quo secure vivant, committere necesse habent.

XXXI.

Si igitur per operationes institutas ad comparationem eorum, quæ vitæ humanæ inserviunt, impediuntur in Republica actiones virtuosæ; non præter rationem hic oritur quæstio: Num non Civitati, in qua Justitia universalis, tanquam finis Licentiæ Civilis intermedius, eum in modum, prout natura summæ felicitatis Reipublicæ perfectæ, & sic finis L. C. ultimus, exigit, administratur, liceat sua sponte imperium suum in adjacentes populos barbaros, nullam quidem ad debellandum se ansam suppedi.

24  
peditantes extendere, eosque suo jugo subjicere, ut hisce in omnibus, tanquam propriis servis, ad comparationem rerum ad vitæ utilitatem necessariarum uti, adeoque à laboribus corporis liberata, eo ardentiori studio fini Reipubl. perfectæ ultimo intenta esse possit? Et profecto pro affirmativa statuenda satis videtur facere, quod ne quidem formas Rerumpublicarum corruptas Ter sanctum Numen legatur unquam improbasse vel prohibuisse, sed obedientiam omni Magistratui, etiam iniquo, præstandam in sacro Codice præcepisse; id quod satis probat illud Apostoli Rom. XIII. 1. & 2. *Omnia anima potestati Magistratus sit subdita. Quisquis enim Magistratui resistit, resistit ordinationi divinae,* excepto solo casu, cum nim. jubeat peccare. Act. V. 29. Jam autem hoc imperium, quod in barbaros adjacentes hac ratione intenditur, non videtur esse Reipublicæ corruptæ, adeoque, licet hoc, tamen non iniquum, nec Jure divino prohibitum; quia ipso Jure Naturæ est licitum, in tantum, ut vel hoc etiam svadere & ad hoc impellere videatur: exinde, quia hi populi prorsus servili sunt animo, adeoque imperio dominico regendi, non aliter ac milites gregarii, qui ad exercitium fortitudinis non sua & propria, sed Ducis sui, scientia regi necesse habent. Huic porro accedit, quod servitus legalis Jure gentium introducta, vi cujus bello capti & superati in servitutem cedunt victoribus, à Jure etiam Naturali sit permessa, nec hoc imperium in eos exercere dominicum prohibitum; ut adeo exinde videatur omnino licitum. Verum, cum Justitia in genere, & quatenus ad consequendum finem ultimum Reipubl. perfectæ administrari debet, ut etiam supra dictum, sit virtus universalis, sub se una cum aliis virtutibus comprehendens Justitiam etiam particularem, quæ est ἀρετή, δι᾽ ἣν τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ἔχουσι virtus per quam, quæ sunt sua, singuli habent Arist. 1. Rhet. 9. nec hac exclusa, quod tamen hoc modo fieri palam est, possit esse universalis, & singulis suis partibus, quod necessariò requiritur, constans, exinde facile apparet; quatenus nimirum rebus sic stantibus hujus administratio naturæ finis ultimi L. C. sit conveniens. Adjungitur huic proxime & hoc, quod vel parum vel omnino nihil præclari hujusmodi imperio inesse possit exinde, quod teste quotidiana experientia,

vir-

virtutibus dedito molesta potius quam jucunda videatur gubernatio barbarorum & fervorum, idque vel propterea, quod ejusmodi hominum brutis simillimorum congeries sola amicitia contineri nequeat, adeoque propter exinde perpetuo imminens periculum semper prospiciendum sit, ne sub hoc imperio contenti quicquam vel velint, vel possint adversus hoc moliri; quod tamen nunquam intermitteri una cum aliis satis confirmant bella servilia in Republica Romana. Cum igitur in barbaris & servis adcuratissima, & vel longe adcuratior, quam in liberis & virtuosis gubernandis, adhibenda sit cura & diligentia, vel cavendo: ne ex una, sed ex diversis gentibus homines vilis & prorsus abjectitii animi ad servitia sumantur, in tantum, ut, si fieri possit, vel cuique civium familiae alii & diversae nationis homines servitia praestent, adeoque propter pusillanimitatem suam non audeant propter diversitatem vero, quia sibi invicem sunt incogniti, nequeant quicquam adversus dominos moliri; vel prospiciendo: quo tantillum modo pecuniae, quantum ad victum, quotidianum sufficiet, illis relinquatur, quoniam pecuniarum usum ignorantibusque virtutibus, & sic consequenter magnificentia & liberalitate, destituta pecunia nulli prorsus usui; vel tandem differentiam adhibendo; quo, prudentiores qui fuerint, adhibeantur ad servitia publica, adeoque spem libertatis adipiscendae habentes, favorem concipiant erga Rempublicam, in qua vivere coguntur. Exinde propter haec & multa alia adjacentia incommoda & pericula hoc imperium in barbaros plus & latius, quam summa & extrema exigit necessitas, extendendum esse Reipublicae, adcuratiorum Politicorum quivis, qua talis, vix erit svasor.

XXXII.

Et proinde, cum, quod late patet, vel ob ingeniorum diversitatem, vel ob bonorum externorum defectum, non dicam, in praesenti de innumera & miranda prorsus obstaculorum multitudine, quae alias mille modis virtutibus possunt objici; felicitatis civilis exactae & summae paucissimos capaces reddiderit æquus Jupiter, adeo, ut, quae saepius ratione subjectorum moraliter videntur impossibilia, nimis stricte exigere, non modo injustum,





24  
stum, sed & ea, quorum scopus obtineri nequit, in universum  
præcipere, malum possit æstumari: & exinde non raro minus  
bona permittenda sint vel ob virtutum præstantiam civium ca-  
ptum exsuperantem, vel ob majoris incommodi evitacionem;  
quemadmodum de hisce omnibus satis adcurate loquitur sæpè  
laudatus Conring. in *Dissert. de Majest. Civ. aut. & off. circa Sacra*  
*lib. 4.* hic latus pateret campus exspatiandi & adcurata mentis  
statera expendendi specialiora & ea, quæ communi nonnun-  
quam sententia habentur pro illicitis, in se tamen sunt licita, ex  
adverso vero judicantur licita, quæ nullo prorsus jure sive divi-  
no, sive humano, possunt approbari. Quamvis vero mihi in  
præsenti vel ob exiguum temporis spatium, vel aliud quoddam  
minus speratum impedimentum non concessum; nihilominus  
tamen L. B. divina auxiliante gratia in alium, & commodiorem  
forsan, locum & tempus differo.

### XXXIII.

Absolutis causis Licentiæ Civilis *Efficiente & Finali* transe-  
undum est ad *Materialem*, eamque cum *subjectivam*, tum *objecti-*  
*vam*. Est vero Licentiæ Civilis *Subjectum* ipsa *Civitas* sive *Respu-*  
*blica*, & consequenter *singula ejusdem membra & partes* nec non *justa*  
*harum secundum Justitiam distributivam facta ordinatio*. Cum e-  
nim *Civitas* sive *Respublica* sit *κοινωνία τις* h. e. *societas* quæ-  
dam *Arist. III. Polit. 3. ἢ ἂν ἐξ ἑνός, ἀλλ' ἐκ πολλῶν σύγκειται*  
*μερῶν*, quæ non ex una, sed ex multis constat partibus, *Arist. IV.*  
*Polit. 4. & δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις* *Jus*, quædam civilis so-  
cietatis ordinatio, atque in hac consistat; *Arist. I. Polit. 2.* exinde  
& Licentiam Civilem in hac consistere atque hanc illius subje-  
ctum esse necesse est. Quæ vero ea ordinatio proprie sit & esse  
possit, de eo simpliciter & certi quicquam statuere ulli adcura-  
tiorum vix licebit; cum pro diversitate *Rerumpublicarum* &  
scoporum in illis propositorum diversa etiam requiratur parti-  
um in illis contentarum ad hunc scopum obtinendum ordina-  
tio. Quas omnes & singulas in specie heic enarrare vel nimis  
prolixum vel etiam minus æstumo necessarium. Excujusvis  
*Reipublicæ* proposito sine liberum cuique *judicium* relinquens  
E de

de facienda iusta & decenti partium Reipublicæ ad obtinendum illum finem ordinatione heic tantum quæro: An nimirum omnia, sine quibus Civitas sive Respublica subsistere nequit, sint partes ejusdem Reipubl.? Et videtur primo quidem, intuitu, quod sic; cum in genere omne totum, quatenus destituitur vel minimo quodam ad sui ipsius, tanquam totius, existentiam necessario requisito, dicatur destitui aliqua sui parte: & proinde quare non & Respublica destituta quodam requisito, sine quo subsistere nequit, dici poterit destitui aliqua sui parte? Verum, quoniam in sententia de partibus Reipublicæ ferenda non respiciendum ad ipsius Reipublicæ amplitudinem, magnitudinem & augmentationem, sed potius ad propositum finem & quatenus unumquodque suum ad hunc confert; ac in Republica e. g. perfecta & beata mercenarii & vitam agrestem colentes ad hujus propositum finem in se & quatenus talem, operationes nimirum secundum virtutes, vel parum, vel omnino nihil conferre possunt, ob exiguum temporis, quod, *ut supra dictum,* præter labores corporis ad ionibus virtuosus impendendum adhuc reliquum habent spatium, ideo & hos partes Reipublicæ dici non posse satis constat. Quemadmodum vero in hac, ita & se res habet in aliis Rerumpublicarum speciebus, quin hæc eadem est sententia Arist. *VII. Pol. 8.* Nec non instrumentorum potius quam partium Reipublicæ nomine eos venire dicendum est, non aliter, ac servi, quatenus servi, dicuntur dominorum suorum instrumenta; dum inter hos non major intercedit amicitia, quam inter artificem & suum instrumentum, qui in tantum hoc amat illudque conservare studet, in quantum præbet usum in ejus artificio. Ast, quoniam hæc quæstio primario pertinet ad Philosophiam Theoreticam, & in Philosophia Practica quin ipso Jure Civili alias vix ullum præbet usum, nisi sola in materia de proportionem faciendam in inflictione pœnarum ratione delinquentium; huic hic loci inquirendo plus justo in hære operæ pretium non judico, reservo potius eam ad Dissertationem subsequenter peculiarem *de Pœnis delinquentium*, ubi propria illius sedes erit.

XXXIV.

## XXXIV.

Occurrit jam Materia Licentiæ Civilis circa quam sive *Objectum*; quod in definitione supra allata Cap. I. n. 11. constitui *Actiones* quascunque, quæ à Magistratu tolerantur &c. Quamvis autem confestim ibidem duobus n. seqq. non omnes & singulas actiones simpliciter & nullis prorsus exclusis nomine *actionum* quarumcunque venire, sed hæc verba sub certa quadam limitatione & restrictione intelligenda esse dixerim; Nihilominus tamen & hæc generalia, licet ibi adsint, non videntur sufficere. Cum primis vero, cum n. ibidem 13. dictum sit, sub vocabulo *quarumcunque* non contineri actiones eas, quæ nec honestatem, nec utilitatem sive publicam, sive privatam lædunt, & ad Licentiam Naturalem primario, huc saltem *secundario* pertinent; nunc inquirendum esset, quænam actiones in Republica sub hanc speciem cadant. Verum, quoniam hæc non ad hanc, sed ad aliam & superiorem cathedram spectant, & exinde in negativis tantum subsistendum est, nec in præsentia licet de hisce quicquã positivi statuere; ad *Dissertat. n. preced. dictam & proxime subsequentem* potius differre cogor. Quæ brevissimis etiam, in quantum licitum fuit, posita sint de *Causa Licentiæ Civilis Materiali cum subjectiva, tum objectiva.*

## XXXV.

Calcem denique huic Capiti vel tribus saltim verbis addit Licentiæ Civilis *Forma*. Cujus loco, cum eam, tanquam *thematicis Practici*, proprie non dari palam sit, non immerito ex *supradictis* rationibus omnibus eruenda erit *Ratio formalis*, quam non injuste posuero: *Convenientiam actionum Civilium cum Legibus boni & Justi à Magistratu legitimo promulgatis*. Etenim, cum omnes actiones, quo Licentiæ Civili, quatenus tali, sint conformes, regulari debeant ad *Leges boni & Justi à Magistratu legitimo* propositas, merito exinde resultat & ejus *Ratio formalis*, quæ consistit in *hac actionum conformitate hisce legibus respondente*. Cujus usum, quantum & qualis sit, omnibus causis debito nunc modo expensis pluribus demonstrabit

## CAP. III.

DE

# LICENTIAE CIVILIS EFFECTU ET HUIC ADJUNCTIS.

CONSPECTUS.

*Ratio Ordinis n. I. Licentiae Civilis Effectus primarius quis? demonstratur exinde: In legibus ferendis Magistratui opus auxilio divino, Subditorum vero actiones omnes Legibus conformes reddendas esse. n. II. Quia nec Magistratui ob Legum iniquarum & injustarum lationem resistendum & sese opponendum; deciditur inde controversia de difficultate & facilitate vitae Christianae sive questione illa: Num homini, quatenus homini, hodierna luce difficilis vel facilis sit vita Christiana. num. III. Electio Magistratus in Rebus publ. quae fit per sortem, minus licita; nec separatio Regionum, quae a personis illustribus hac ratione fit, res levis; sed omne negotium hoc modo susceptum praevia deliberatione & divini Numinis invocatione ineundum. n. IV. In quantum Principi sine dignitatis Principalis lesione a pollicitatione, quam privato cuidam dedit, licitum recedere. n. V. Licentiae Civilis Effectus reliqui, qui? n. VI. & VII. Conclusio. n. VIII.*

I.

**C**um omnis causa, quatenus est & dicitur causa actu talis, producat suum effectum, nec, nisi hoc, possit proprie & secundum naturam suam esse & dici alterius causa; quia hoc modo non esset propter aliud, sed propter seipsum quippiam. Non immerito & haec positae priori Capite causis Licentiae Civilis omnibus cum internis, tum externis, subnectendum tandem Caput ultimum de Licentiae Civilis Effectu, & in eo dispi.

dispiciendum, an nimirum eum & quatenus hæ producant? ut  
adeo & exinde harum veritas, tanquam ex consequente, eo cla-  
rius patefcatur.

II.

Datur vero & existit Licentiæ Civilis *Effectus*, quem *supra*  
*positæ* causæ omnes & singulæ producant, & sunt: *Operationes*  
*conformes Legibus boni & Justi à Magistratu legitime promulgatis.*  
Vi cujus palam est, omnem Magistratum legitimum in Legibus  
ferendis omnibus aliis sepositis primario eo debere respicere,  
quo hæ sint bonæ & justæ adeoque licitæ, & sic vim obligandi sub-  
ditos habere, non vero injustæ existentes iis ansam & justam  
causam hisce sese opponendi, adeoque effectum Licentiæ Civilis  
impediendi, suppeditare possint. Id quod ipsum eum, ut vul-  
go dicitur, non sit de glande legenda sive vino & tritico legato,  
sed longe majoris momenti; & ipsos Ethnicos ad hoc ope & au-  
xilio divino opus esse, in cœcitate sua, quam vivebant, agnovis-  
se, sufficienter testatur innumera illa fabularum multitudo, quas  
de Diis ad populi persuasionem & Legum usum conferentibus  
excogitarunt; & Cic. l. 2. de LL. qui: *Sit igitur hoc jam à princi-*  
*pio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores. De-*  
*os, eaque, quæ gerantur, eorum geri iudicio ac Numine, eosdem opti-*  
*me de genere humano mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in*  
*se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorum-*  
*que & impiorum habere rationem: his enim rebus imbutæ mentes*  
*hanc sane abhorrebunt ab utili & vera sententia.* Nec non ipse Ta-  
citus de Numa Pompilio differens annal. 3. *Nobis Romulus, ut libitum,*  
*imperavit; deinde Numa religionibus & divino Jure populum de-*  
*vinxit.* Ut adeo exinde multo magis & nostrum & cujusvis  
Magistratus Politici sive Civilis, qui singulari Dei & Messia no-  
titia inclaruit, quique in hac ad id evectus est fastigium, quo illi  
nec emerferant, nec emergere poterant, hoc esse non dubitan-  
dum sit; cum primis si justa animi statera expenderit illud, quod  
Deus ipse eum tanquam aliquod summum constituerit, nec à  
quodam mortalium dependens ulliusque arbitrio subjectum,  
sed, ut sibi soli subditum, ita & secundum & vicarium. Posito au-  
tem hoc, tanquam primario, legitime nunc sequitur secunda-  
rium,



rium, Cives nimirum sive subditos in Republica omnes quocunq;  
tempore actiones & operationes suas, quo Licentiæ Civili sint  
conformes, ad hasce Leges boni & justii à Magistratu legitimo  
propositas tanquam ad amussim & lydium lapidem examinare  
& probare non modo debere, sed & ipsa Lege divina in univer-  
sum & omnimode teneri; id quod (liceat mihi cum hisce, quæ the-  
sibus subsequenter inferuntur, bona Theologorum pace heic  
adducere) sufficiens probat Apostolus *Rom. XIII. 1. & 2.* quan-  
do: *Omnia anima potestati Magistratus sit subdita. Quisquis enim  
Magistratus resistit, resistit ordinationi divine.* Ne nimirum hoc  
prætermisso & quoad minima quoque in devia aberrantes vel  
Legibus Magistratus sive exigua, sive prorsus nulla justa & pro-  
babili ex causa in totum sese opposcentes in consecutione non  
modo Justitiæ universalis, tanquam finis L. C. *supradicti* inter-  
medii; sed & consequenter ipsius salutis & felicitatis Civitatis,  
tanquam finis L. C. ultimi, immo omnium reliquorum Licentiæ  
Civilis effectuum impediuntur: quoniam ἡ παρανομία, ἢ τοι ἢ  
ἀνομία, περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν & κοινόν ἐστὶ πάσης ἀδικίας,  
Legum transgressio sive iniquitas omnem injustitiam continet,  
estque omni injustitiæ communis, secundum *Arist. V. Eth. 2.* & si  
hoc, etiam Civitatis pernicipi & ruinæ & sic reliquis Licentiæ Ci-  
vilis Effectibus.

### III.

Non autem præter rationem heic oritur quæstio: Num non  
subditis in Republica, si sentiant & intelligant, immo certi sint,  
Leges à Magistratu sibi præposito latas esse iniquas & Justitiæ  
minus conformes, liceat hisce legibus sese opponere, hasce im-  
pugnare, adeoque hanc sibi illatam injuriam, si aliter fieri non  
possit, armis vindicare, adeoque contra Magistratum insurgere?  
Videtur prima quidem vice, quod sic, & pro affirmativa statu-  
enda vel solum illud supra allatum sufficere, quod in ipsa sacra  
Scriptura habetur *Act. V. 29.* Magistratui nimirum & Legibus in  
omnibus esse obtemperandum, nisi solo in casu, cum jubeant peccare,  
ubi magis obediendum sit Deo, quam hominibus. Cum igitur  
Magistratus & Leges, si jubent sive præcipiunt injusta & Justitiæ  
minus conformia, jubeant peccare, quoniam omne injustum est  
pecca-

peccatum; quare non ab iis recedendum, magis Deo obediendum, adeoque injuria hisce Legibus iniquis illata, si alia ratione fieri nequit, armis propellenda erit? Cui accedit, quod vim injustam vi repellere ipso Jure Naturæ licitum. Si igitur & hæc vis Magistratus injusta, quæ legibus iniquis subditis infertur, alio modo amoveri nequeat, quid impediet illam tandem armis repellere & Magistratui hoc modo se opponere? cum in universum nullus unquam alteri superiori ac sibi præposito & in minimo quopiam alio teneatur præstare obedientiam, quam ad quod à supremo & præponente ille præpositus constitutus est. Verum prius illud quod attinet, ubi dicitur, Deo magis obediendum esse quam hominibus peccare jubentibus; ab obedientia ad repugnantiam sive oppositionem & vindictam propriam profecto valere consequentia non potest, cum longe diversissima inter se sint, Magistratui *non obedire*, & Magistratui *vi & armis resistere*, nec possit concludi: quod ei, cui quippiam de stricta obedientia Magistratui præstanda remissum, permissum etiam confestim exinde sit, quod Magistratui se vi & armis possit opponere, ei resistere atque injuriam Legibus iniquis forsan illatam proprio ausu vindicare. Longe aliud profecto docet Apostolus *Rom. XII. 17. & 19. Nulli malum pro malo reddentes nec vosmet ipsos defendentes: sed date locum ira: Scriptum enim est, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Nec non Christus ipse *Math. V. 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persecuentibus & calumniantibus vos.* Ut adeo exinde subditis contra Magistratum præpositum propter Legum latarum iniquitatem vi propria & armis insurgere non liceat. Ad posterius vero quod spectat, *vim injustam vi repellere ipso Jure Naturæ licitum esse*; nec hæc regula *absolute & simpliciter*, sed *sub certa limitatione & restrictione* est sumenda: nec etiam, ubi aliud adhuc remedium vim injustam propellendi sive avertendi est reliquum, locum habere potest. Cum igitur & subditis in Republica à Magistratu suo Legibus injustis gravatis adhuc sit reliqua fuga, & si hæc non possit arripi, refugium tamen ad Judicium divinum, & ante hoc permessa de hac iniquitate querela, uti eleganter tradit Adamus Cortrejus in *Dissert. de Extrema Provocatione ad Tribunal Chri-*

*Christi in causis Civ. & Crim. von der Vorladung vor Gottes Ge-  
richt in Bürgerund Peinlichen Sachen. Cap. 1. num. 14. Ideo &  
hanc regulam hic locum non invenire palam est. Quin & ipse  
Philosophorum Princeps, Aristoteles, tanquam Ethnicus & Man-  
dati divini de obedientia Magistratibus præstanda parum gna-  
rus iniquitatem Magistratum æquo animo tolerandam potius,  
quam huic resistendum esse, censuerit; id quod late patet ex II.  
*Polit. 8.* ubi: *Φανερόν ὡς ἐαλέον ἐνίας ἀμαρτίας καὶ τῶν νομοθεσιῶν καὶ  
τῶν ἀρχόντων. Οὐ γὰρ τοσούτον ὠφελίσεσθαι κινῆσθαι, ὅσον βλα-  
βησεται τοῖς ἀρχῶν ἀπειθεῖν ἐπιθεῖς.* *Perpicuum est errata  
quædam esse toleranda & Legumlatorum & Magistratum. Non  
enim tantum proderit qui corrigere perget, quantum nocebit advesa-  
tatio superioribus non parendi.* Nec non omnis civitas ad tuendam  
tranquillitatem instituta jus resistendi promiscuum publicæ pa-  
cis & ordinis causa prohibuisse censeatur; quoniam hoc existen-  
te non amplius maneret civitas, sed abiret in ἀναρχίαν sive dis-  
sociatam multitudinem, uti elegantissime tradit Hugo Grotius  
*de J. B. & P. Lib. 1. Cap. 4. n. 2.* ut tanquam superfluum jam non  
addam, ultionem & vindictam privatam ad virtutem & æquita-  
tem non pertinere, sed esse vitio, quum non sine incommodo  
Reipubl. fiat pro suis commodis, secundum Magnif. Dn. Schil-  
ter. *in Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jprud. Cap. VIII. §. 2.*  
Et hisce omnibus & singulis debito modo expensis facillimo ne-  
gotio nunc poterit etiam resolvi alias nobilissima illa contro-  
versia, quæ inter Politicos nonnunquam habetur de difficultate  
& facilitate *Vite Christianæ*, sive quæstione illa: *Num homini, qua-  
tenus homini, obstaculis & impedimentis internis, & ipsi tanquam sub-  
stantiæ mobili inexistentibus, remotis, hodierna luce difficilis vel facilis  
sit Vita Christiana?* ut uno verbo & dilucide proponam: *Ob es  
heut zu Tag schwer oder leicht sey ein Christ zu seyn?* Cui ob ni-  
miam pagellarum præter omnem spem factam coacervationem  
in præsentī proluxiori discursu inhæreere invitus quidem impe-  
dior; nihilominus tamen, si quicquam statuendum erit, priori  
potius quam posteriori quæstionis membro affirmando acce-  
dendum esse, salva quidem eordatorum cujusque existimatione  
& debito respectu, non injuste adseruero.*

IV, Jux-



## IV.

Juxta hanc non inutilis & adeo inconueniens est quaestio: Num subditis in Statu Reipublicæ populari, siue Democratico, vel etiam quouis alio, propter eorum vel in legibus ferendis, vel in consultando, vel etiam iudicando consensum eundem quam horologiorum siue capitum Vulpium Samsonicarum, se ipsos amplius gubernare non valentibus (hoc sæpius immo sæpissime factum esse testantur & annales & Chronica variarum Rerumpublicarum) liceat certum subjectum ad se regendum cuique pareant, sibi, ad eò vigilantiori studio præcauendam omnem iniustitiam, quæ nonnunquam hisce in casibus occurrere & irrepere solet, *SORTE* eligere? Et videtur primo quidem intuitu hoc non negandum esse; quia Quodcunque ipso Jure divino non est prohibitum, illud omnino poterit esse licitum. Atqui sortes nullibi in sacro Codice reperiuntur prohibitæ; E. omnino erunt licitæ. Huic accedit, quod sortium causa sit divina, non fortuita. *Proverb. XVI. 33.* In promptu etiam sunt exempla eorum, qui hoc modo licite voluntatem divinam explorarunt, sicut & Apostolos in indaganda voluntate divina de cooptando Apostolo ejusmodi remedio usos fuisse palam est. Nec obscurum est, & exinde removeri omnem inique præconceptam opinionem & odium erga Magistratum, & sic causas seditionum in Republica; ut adeo ex hisce & aliis rationibus non immerito hoc licitum esse videatur. Verum, primum quod attinet, cum, licet sortes & harum usus in sacro Codice nullibi reperiatur expressè prohibitus; nullibi tamen ex aduerso reperiatur etiam vel unicus locus, in quo contineatur expressa de ejus, quod *sorte* eligitur & voluntate divina quoad hoc promissio, & sic desit certitudo, huic vel illi subjecto, quod sorte electum est, inesse posse facultatem imperandi & gubernandi subditos; hoc argumentum ad obtinendam affirmativam hoc in casu satis firmum esse, merito negatur. Alterum quod spectat, sortium causam divinam equidem esse non diffitendum est. Verum cum sortium, & Ominum omnino eadem sit ratio, nec non sortes ominum, existant certæ species, uti elegantissime tradit laudatissimus Dn. Schilt. *Manud. Phil. Mor. ad veram nec sim. Jprud. Cap. IX.*



§. II. & ominum p̄titiō regulariter sit species tēmeritatis & tentationis aduersus DEUM, id quod late patet ex *Esa. VII. 12.* nec non Magnif. Dn. Schilt. *Jam alleg. Cap. IX. §. 10.* hoc ipsum confestim contrariari ipsi secundo Præcepto Tabulæ primæ Decalogi, quis saniorum est, quem lateat? Tertio & consequentia ab Apostolis ad subditos in Republica nimis late petita videtur; cum sæpe duo faciant idem, quod tamen non est idem. Jam vero Apostoli voluntatem divinam de cooptando Apostolo explorantes hoc & omnia alia sua opera speciali prorsus Spiritus sancti motu peragebant, quin Spiritu extraordinario & omnino Heroico illud ipsum à Deo impetrabant. Si ergo de hisce omnibus & subditi in Republica poterunt esse certiores, & tunc illis concedendum esse non negatur. Quanquam autem ultimò hoc modo & subditorum iniquæ erga Magistratum opiniones & odium *remoueri* videantur; has tamen hoc ipso non *amoueri*, vel sufficienter attestantur & sola exempla eorum, qui ex Stomachatione, adeoque ex affectu licito, erga Magistratum *forte* electum & ad imperium in se gerendum minus aptum vel maxima moliri & una cum totius Reipublicæ eversione felicissimo successu in ipsum effectum producere non erubuerunt: ut adeo ex omnibus hisce circumstantiis & nisi validioribus in contrarium adhuc accedentibus rationibus non immerito obtineat negativa. Quin & inter Principes, nec non Comites & alios familia illustres, separationem Regionum vel ditionum, si aliter fieri non potest, nonnunquam forte ineundam rem non leuem, sed periculosissimam esse, vel plurima exempla tristissimo suo eventu sufficienter demonstrarint, ut adeò & in negotio quouis etiam minimo hoc modo suscepto non immerito alta deliberatione nec non divino auxilio & Spiritus Sancti adstantia ardentissimis precibus impetranda opus, non vero rudi, quod dicitur, Minerva, id tractandum & illotis prorsus manibus aggrediendum esse censendum sit.

V.

Unicam saltem adhuc eamque levissimam & alias vulgaram quæstionem moveo: Num non possit Princeps, sine existimationis suæ & dignitatis Principalis læsione, à pollicitatione, quam

quam cuidam subditorum suorum vel privatorum dedit, postea temporis, si facti eum poenitet, iterum recedere? Et non solum nostris, sed etiam antiquis moribus, ut plurimum absolute negativam obtinuisse sufficienter attestatur, si plurima alia deficerent, vel solum Herodis exemplum; qui Herodiadi in Natalibus quicquam pollicitus, & postea petitione facta de capite Johannis, quamvis facti poenitens, propter *ἡσυχαστικὰς ἀδελφότητας* tamen & sic sub his contentam existimationem & dignitatem suam Principalem, à promissis suis iterum recedere nefas putabat, de quibus prolixè vid. *Math. XIV. 9.* Verum, cum hoc neminem, qui sanæ mentis compos, vel iniquissimum esse lateat, non immerito distingvendum puto inter pollicitationes eas, quæ sine læsione conscientia, & detrimento Reipublice possunt adimpleri, quas omnino adimplendas nec ab his recedendum esse Principi sine læsione dignitatis Principalis adseruero; Ast longe aliud statuendum est de pollicitationibus iis, quæ primo statim intuitu vel explicitè vel implicitè hisce omnibus repugnant & contrariantur; ad quarum adimpletionem Principem nequaquam teneri vel rudiorum quis dubitabit? Quamvis omnium tutissimum existimandum erit, initio statim in omnibus actionibus humanis in id intueri, illudque studiosè præcavere, ne ex ullo unquam facto cuiquam vel periculum vel tota læsio & existimationis & dignitatis suæ oriri & provenire possit.

#### VI.

Verum, missis nunc his omnibus, progrediendum tandem est ad reliquos Licentiæ Civilis Effectus, quos non injuste posuero *Premia & Pœnas*, easque cum *Naturales, tum Civiles. Premia & Pœnas Naturales & cujuscunque in specie* quod concernit, de hisce jam ante tractavi in *Dissert. Mor. de Licent. Nat. Cap. 3. n. 13. & 14.* Præmia vero Civilia Rerum publicarum secundum Licentiam Civilem viventium quod spectat; hæc erunt procul dubio (1.) *Dei Complacentia.* Quem enim ad modum civiliter imperans, si sentit parentes sive subditos præcepta & actiones suas observare & studiosè imitari, adeoque deprehendit in iisdem aliquid sui ipsius, atque percipit, hos esse opus suum, exinde

maximopere lætatur, hosque propterea summe amat; Pari ratione & hujus universi Autor & Conditor, qui non modo permittit, sed & ipse instituit societatem Civilem, secundum ea, quæ tradit Hugo Grot. in *Prolegom. Tract. de J. B. & P. p. 4. n. 16.* quando: *Voluit Natura Autor nos singulos & infirmos esse & multarum rerum ad vitam recte ducendam egentes, quo magis ad colendam societatem raperemur.* Si sentit & eandem hoc facere, semperq; in id intueri, quo omnia & singula secundum institutum suum fiant & peragantur, adeoque in hac deprehendit quippiam sui ipsius, ob hoc maxime eam amat, maximam & summam percipit lætitiã, quin & ipsi summè perplacet; quæ lætitiã sive complacentia producit (2.) *Reipublica nunquam interiura Constantiam*, id quod sufficienter colligi poterit ex prioribus. Dicitur est *n. 9. Cap. preced.* Leges societatum in Republ. privatarum particulares, quatenus se Legibus superioribus & à summa Majestate latis accommodant, ac sic approbatione summi Magistratus sive ejus, qui Legum promulgandarum potestatem habet, vim suam accipere adeoque subsistere, contraria vero ex parte ab hisce desertas, nec non hisce contrarias & repugnantes, omne suum robur amittere. Jam si & Respublica sive societas Civilis in omnibus se accommodaverit instituto ipsius hujus Autoris sui, nec in minimis etiam huic repugnaverit, sed omnia ad ejus placitum direxerit; ab hoc illam posse deseri, adeoque desertam interire, colligendum haut est. Ex hac autem provenit (3.) *summa Felicitas*, quæ gignit (4.) *Gloriam*, quamque comitatur (5) *Subditorum Concordia*. Si enim subditi vivunt secundum Leges à Magistratu legitimo promulgatas in omnibus justitiam præcipientes, quibusq; omnibus & singulis suum tribuendum esse, & ut suum cuique maneat, omni tempore intenditur, nec non & ipsi in id laborant; exinde omne odium & invidiam, & sic, si causas discordiæ, & ipsam discordiam abesse in Republica palam est. Quæ omnia & singula insequitur tandem (6.) & ultimo *ortus apud externos & barbaros ejusmodi Rempublicam invadendi Metus*. Quem enim ad modum nemo hominum vel minimi quicquam audere solet, quod scit in potestate sua non esse, nec se ad propositum finem perducere

24  
cere posse; sed ab hoc prorsus abstinet: Pariratione & exte-  
rorum quicumque, Rempublicam ejusmodi firmissimis funda-  
mentis innixam machinis suis vel quibuscunque evertere pos-  
se desperantes, non immerito salvam relinquunt, nec quicquam  
adversus hanc conari audent. Et hæc de L. C. Præmiis.

VII.

Præmiis vero ex adverso opponuntur *Pæna*, de quibus  
*Specialibus*, quæ cuivis *in specie* contra Licentiam Civilem in Re-  
publica delinquenti irrogari solent, divinâ annuente gratiâ plu-  
ra dabit Dissertatio supradicta peculiaris *de Pœnis delinquentium*.  
Pœnas verò *in genere & universam* Rempublicam contra Licen-  
tiam Civilem viventem concernentes quod attinet; Hæ erunt  
(1.) *Ira divina*. Non enim immerito, sicuti civiliter imperans  
sentiens Legibus à se latis plane nullam obedientiam præstari,  
sed ab hisce pro lubitu quemvis recedere, maximopere irasci-  
tur; & divinum in cœlis Numen, si sentit, societatem à se & in  
sui ipsius gloriam factam nullum prorsus institutis suis mo-  
rem gerere, excandescit & exinde ad iram commovetur,  
quæ justissima deinde ira parit (2.) *Reipublicæ inconstan-  
tiam & repentinam Dissolutionem*; dum institutis superioribus, à  
quibus vim, robur ac firmamentum suum accipit, repugnans &  
exinde ab his deserta debilis, inermis & inops relinquitur, adeo-  
que omnibus periculis exponitur. Quibus accedit Jus illud  
apparens, falsum & fictitium, tanquam fundamentum & princi-  
pium omnis infelicitatis & discordiæ, nec non se ad sociant  
vitia cum imperantium tum parentium. Quamvis ejusmodi  
Rempublicam nonnunquam tamdiu etiam subsistere palam sit,  
quamdiu hoc jus putativum sive falsum, quò reguntur subditi,  
latet falsum. Cui subsistentiæ & quid roboris addit illud,  
quod propter Leges quasdam justas in ea adhuc vigentes à  
Republica vitiosissima & proprie sic dicta abeat. Exinde au-  
tem porro oritur (3.) *Subditorum infelicitas*. Quem enim ad  
modum homo, cujus judicium intellectus, quo regitur, est cor-  
ruptum, est infelicissimus: Eodem modò & subditi, qui in Re-  
publica vitiosa imperantium voluntate, quæ est Magistratum  
in Republicis corruptis, ut *ex supradictis* patet, reguntur, pro-  
fecto sunt infelicissimi. Non dicam hæc de supra quo-  
que

que dicta operandi necessitate, quæ parentibus ex hoc ipso fundamento imponitur, quantum hæc ipsis felicitatis adterre queat. Hæc producit (4.) *Malam Famam*, ex qua (5.) *Subditorum Discordia* & tandem (6.) & ultimò cum exterorum, cum ipsorum Civium ipsum imperium invadendi & subjugandi cupido & exinde ortus perpetuus *Metus* apud imperantes. De quibus omnibus & singulis, horum originibus & tandem obstaculis hiicæ ponendis, adeoque ejusmodi Rempublicam corruptam, si non in totum, tamen in tantum, conservandi modo, si Deus vitam, & alma Themis otium concesserit, non equidem quoad actum, sed potius quoad actus evitacionem, plura exhibebit Scriptum quoddam, cum inscriptione: *Microscopium Politicum sive Statera curiosi sed infelicis Politici.*

### VIII,


In præsentî quod reliquum; ex merito, quemadmodum cum sacratissimo Imperatore hujus Dissertationis erat initium, ita cum hoc quoque esto finis: ac, si secundum *Proæm. Inst. nec non text. in l. 1. princ. junct. §. 1. C. de Offic. Præf. Prætor. Afr.* omnia benefacta principaliter soli DEO, non ingenio aut viribus nostris, accepta referenda; hæc etiã, si benefacta erunt, soli Tuæ, DEUS BENIGNISSIME, infinitæ clementiæ, non meo ingenio aut viribus, accepta refero, meque cum meis studiis qualibus qualibus ut hæctenus, ita & ulterius Tibi, juxta Te vero B. L. æquo judicio nunquam non commendo.

### F I N I S.

*Sphalmata extantiora.*

In Cap. I. num. 4. lin. 9. lege *Seneca. n. 12. lin. 17. lege Naturalis.* In Cap. II. n. 11. lin. 12. lege *βίος* sic, n. 13. lin. 17. lege *κείναι αὐτὸν*. lin. 18. lege *ἀνθρώπων*. n. 14. lin. 17. lege *ἐκείνῃ*. n. 22. lin. 3. lege *obtinet, quia.* n. 25. lin. 3. lege *unus remotus, alter.*

*Cetera benevolus Lector per se animadvertet.*








ULB Halle  
005 132 541


3



WMA







1680, 6

Jan. nov. 78.

8

DISSERTATIO POLITICA  
DE  
LICENTIA CIVILI,

Quam  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA  
PERMISSU SUPERIORUM  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA SALANA,  
PRÆSIDE

DN. JOHANNE BERNHARDO  
PHIL. ET U. J. D. IL-  
LUSTRIS REGIMINIS SAXO-JENENSIS  
ADVOCATO ORDINARIO GRA-  
VISSIMO,

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO OMNI HO-  
NORIS CULTU MAXIME DEVENERANDO,  
Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit

AUTOR  
JOHANNES HENRICUS Schrum /  
Schlaizâ-Variscus  
M. E. L. P. C.

Mense Januario. M. DC. LXXX.

Literis GOLLNERIANIS.

